Supp. 59,777/B

IOANNIS BERNHARDI DE FISCHER,
MED. DOCT. ET QVONDAM RVSSIARVM IMPERATR. ANNAE, GLORIOSAE MEMORIAE, PERSONAE MEDICI, ET PER RVSSIAS, RES MEDICAS DIRIGENTIS ARCHIATRI, VT ET ACADEMIAE IMPERIALIS NAT. CVR. COLLEGAE,

DE

SENIO,

EIVSQVE

GRADIBVS ET MORBIS,

NEC NON

DE EIVSDEM ACQVISITIONE,

TRACTATVS,

DE NOVO

REVISVS ET ABVNDANTER AVCTVS.

ACCESSERVNT PRAETEREA

DESIDERATI

FRANC. RANCHINI, ET FLOYERI

GEROCOMICARVM, AMPLAE SCIAGRAPHIAE:

NEC NON

WELSTEDII ET DETHARDINGII,

CONSPIRANTE QVASI AD LONGAEVITATEM FATO,

EODEM MDCCXXIV. ANNO,

CVM FLOYERI GEROC. EDITA COMMENTA,

TRIBVS VERBIS INDIGITATA.

EDITIO SECVNDA.

ERFORDIAE,
IN OFFICINA WEBERIANA.
1760.

Sciagraphia Tractatus de Senio,

nouae editionis Praefatio.

De amore diu viuendi. De animalibus longaeuis, et de rara longaeuitate hominum. Sexus ſequior tantam longaeuitatem non attingit, quam potior, licet non deficiant feminae longaeuae, quarum quaedam allegantur ſupracentenariae. Ad motus corporis et exercitia ſunt durabiliores, ob fibrarum corporis, firmius compactarum, elaſticitatem, quae ſub menſtruatione, ex reciproca diſtenſione et remiſſione fibrarum, exercetur, quae diſtenſio et remisſio, etiam tempore grauiditatis contingens, huc facit, niſi eius nimia frequentia violentiae ſpeciem faciat. Simile allegatur de extenſione fibrarum corporis, per exaeſtuationem in balneis populorum borealium ſuccedente, per iniectam frigidam, vel niuem, fibrarum reductione. Huc confert craſis ſanguinis feminini pinguior, et ſexui huic connata maior agilitas praecellens, per multa animalia. Morboſa ſenum valetudo ad

autocheiriam ſuaſit maris, accolis per vndas, Indis per ignem, Americanis trucidatione per iuniorum fuſtes petendam, exceptis Braſilianis, qui finem vitae patientiſſime exſpectauerunt, ex pia voluntate liberorum, mortua corpora parentum comedentium. Perpauca extant ſcripta de valetudine ſenum conſeruanda. RIVERII ſenectutis diuiſio, in primam, ab anno 50mo ad 60mum, et in ingraueſcentem, a 60mo ad 70mum, ab hoc in decrepitudinem, ad vitae finem, ſic nuncupandam, non arridet, licet alii, inprimis FLOYERVS, hanc ſecuti ſint. Vox decrepitudo examinatur, et quibus, ſecundum RANCHINVM, competat. *Senium* ab annis decies ſenis expletis, vel inceptis, nominare iuſtum ducitur: hinc primum ſenii ſtadium ab anno 60mo ad 70mum ponitur; quae nunc ad 90mum annum ſequitur aetas, *grandaeuitas* vocatur, qui autem ex hoc tempore viuuntur anni, *longaeuitas* audit, additis huius diuiſionis rationibus. Tractatum in tria capita diuiſit auctor. I. continet recenſionem hiſtoricam primi ſenii, grandaeuitatis et longaeuitatis. II. morbos ſeniles, eorumque curationem tradit. III. methodum ſaluam longaeuitatem acquirendi, docet. Deſiderauerat auctor in prima editione huius opuſculi, perluſtrationem laborum, aliorum celebrium medicorum, qui de hoc negotio ſcripſere, inprimis BACQVERE *Medicum ſenum*, et RANCHINI *Gerocomicam*, quia praeter FLOYERI *Gerocomicam*, nullam poſſidebat: cum autem

tem nunc compos factus eſt RANCHINI *Gero-comicae*, de hac Sciagraphiam amplam prae-fationi inſeruit. Quia etiam *Floyeri Geroco-micam*, 1724, Londini anglice editam, in Actis erud. Lipſ. non recenſitam, inuenit, operae pretium duxit, et de hac amplam annectere Sciagraphiam. Cum praeterea, eodem anno, bono quaſi conſpirante ad longaeuitatem fato, Roſtochii, DETHARDIN-GII *Manuductio ad vitam longam*, et Londini, WELSTEDII *Tractatus de vergente aetate* prodie-rint, prioris auctoris methodum, leuiore tantum indicauit digito, ablegando lecto-rem, ad ea, quae Eruditi Lipſ. in Actis ſuis, de poſteriore recenſerunt.

Cap. I. §. 1. 2. raritas longaeuorum 3. BA-CO VERVLAM. vult, in Anglia plures eſſe lon-gaeuos, prae ceteris regionibus: adducun-tur huius noua exempla. Lappones lon-gaeui, teſte LINNAEO. 4. 5. in Germania ta-men, et vicinis regionibus, Hollandia et Hungaria, imo in Gallia ſaepe reperiuntur longaeui. 6. robur Germanorum, a TACITO adeo depraedicatum, credere facit, Germa-niae clima ad longaeuitatem iuuare, niſi, an-nuente CONRINGIO, mollities antiquum cor-poris habitum perdidiſſet. 7. egeni fiunt lon-gaeui. 8. Braſilianorum longaeuitas. 9. Eſ-seorum. 10. Chinenſium; idolum ad lon-gaeuitatem, 11. Calmuccorum, crude carni-vororum. 12. Aethiopiae *Macrobii*. 13. lon-gaeui antediluuiani; an a carnibus abſtinue-

rint? 14. longaeui maſculi, ex habitu corporis materno. 15. forma grandaeuorum et longaeuorum externa et interna, examinandae. 16. habitus corporis, in *ſtrictum* et *laxum* diuiſio: non valde recedit forma prior, in ſenibus habitus laxi; magis in habitu ſtricto: quia glandulae magis in hoc exareſcunt: feminae grandaeuae infantes lactarunt. 17. ſenes ſtricti habitus interdum laxiorem acquirunt. 18. mutatio capillorum in canitiem: de *Praecanis*, et natura pilorum canorum: de mutata forma faciei, de mutata maſticatione, et motitatione maxillae inferioris. 19. forma corporis nudi. 20. dentium abſentia: deglutitionis variatio: manuum, pedumque imbecillitas. 21. lapſus ſenibus lethales: crurum inflexibilitas exceptis Lapponibus, ob ſanguinem illorum, *quaſi* ſebaceum: ſenſus externi ſimul mutantur. 22. incommoda *Horatiana*. 23. 24. 25. VERVLAMIVS notatus: ſenes ſilicernii, depontani Romanorum. 26. longaeui pueris terrifici, et ludibrio, in exemplo. 27. ſenum forma interna: ſenes maxime tempore hyemali moriuntur. 28. ad formam internam tradendam, inſpectiones cadauerum neceſſariae ſunt. 29. ſectio longaeui, 130 annorum. 30. ſectio alius 109 annorum. 31. ſectio 94 annorum, cuius partes genitales vigentes: qua occaſione allegatur quidam, 152 annorum, qui centenarius factus adulterii poenam luit. 32. ſectio centenarii cum notabilibus circa oſſium vegetationem.

33. no

33. notabilia in grandaeuo, lapſu mortuo. 34. ſectio feminae grandaeuae cum enormi arteria magna oſſificata, et corde valde magno, vti in praegreſſis. 35. ſectio grandaeui, cum cerebro valde ſicco, vti in primo longaeuo (§. 29.) 36. forma interna ſenum nondum grandaeuorum: caſus a polypo ſubito mortui. 37. caſus a corde rupto. 38. arteriae in ſeneſcente viro iam oſſificatae. 39. primaria formae internae. 1. cordis et arteriae aortae amplitudo. 2. arteriarum deſcendentium oſſificatio. 3. cerebri denſitas, et glandularum durities. 4. pulmonum incolumis ſtatus. 5. lienis cartilaginoſitas. 6. oſſium, nunc arida frangibilitas, nunc vegetatiua virtus. 7. hepar, in plurimis ſaluum. 40-52. phoenomena haec explicata. 53. ſanguis ſenilis examinatur. 54. *leuitas* corporis ſenilis habitus ſtricti, vt in vndis non facile ſubmergantur; experimento, ſagis olim deleterio. 55. cauſa. 56-72. amplior conſideratio mutatarum actionum, tam vitalium, quam ſenſualium, et per quas ipſi actus vitales, reliquique ſuſtentantur, appetitus, nutritio, excretiones, additis contemplationibus circa ſomnum ſenilem, et generandi vires; annexis exemplis et periculis, mortem ſubitaneam a venere producentibus: de vetularum pariendi facultate, et appetitu venereo. 73-81. mutatio ſenſuum externorum, et internorum, quoad poſteriores, in flebili caſu. 82-84. paſſiones animi. 85-89. repueraſcentia ſenum circa affe-

ctus animi, morbos, variasque alias proprietates. 90. reiuuenefcentia. 91-100. regimen vitae ſenilis, ex relatis, in tres claſſes diſtributum. 1. continet ſenum, a natura debilium. 2. robuſtiorum, cum variis paradoxis circa victum, ex cibis fumatis, etc. et de morte ex inſolitis eupeptis. 3. medium, ex habitu medio ponit. 101-103. de longaeuis, regimen enormiter negligentibus, caſus. 104-107. de lenitate ſpiritus frumenti prae ſpiritu vini, ad potum: de vſu et abuſu vtriusque: de paucitate longaeuorum opulentorum: de autocheiria ſenum ex ebrietate. 108. de annis climactericis.

Cap. II. §. 1. fracta ex ſenio vitae oeconomia, vel ex viſcerum, vel ex ſanguinis ſpeciali labe, plenarium interitum minitatur: rariſſimi ſunt ſenes, quibus nec mens, nec corporis putridi partes, ſecundum SENECAM, ab aetate fuerint concurſae. 2. dantur grandaeui, a primi ſtadii perpeſſis morbis liberi. 3. morbi in capitis, thoracis, imi ventris, artuum et ſuperficiei pertractabuntur. 4-19. morbi viſus, cataracta, acies laeſa, ophthalmia, trichioſis? telae aranearum obuolitantes, in caſu amplo. 20-25. morbi auditus: tinnitus ſonticus: tinnitus grylli-ſonus. 26. affectus ſenſuum internorum. 27. 28. 29. cephalalgia et hemicrania: venaeſectionis pericula in caſibus grandaeuorum. 30. haemorrhagia narium. 31-34. Vertigo, ex variis cauſis, cum variis phoenomenis. 35-37. Synco-

Syncope et lipothymia: cauſa proxima inueſtigata, per inſufflationem venarum, experimentis, in Ephem. N. Cur. datis. Caſus in femina, cuius cor et omnia vaſa ſanguine vacua erant: dilucidatio ex lipothymiis puerperarum ſub motu leuiore: mortes ſubitaneae ſcorbuticorum: Senum ſub alui exoneratione, in caſibus: ſyncope et lipothymia ab hauſtu ſpiritus vini: ſpiritus vini anti-ſyncopticus: conſideratio cordis flacciditatis ſenum: conſilium hoc mortis genus praecauendi: caſus de ſyncopticis pro mortuis habitis: ſyncope lethalis ex gaudio: ſigna vere mortuorum. 48-51. paralyſis, linguae, veſicae, crurum: in artubus, linimenta adipoſa, oleis deſtillatis animata, praeferuntur ſpirituoſis. 52-61. hemiplexia ex variis cauſis: de delectu venarum ſecandarum, et arteriotomia: artuum vigor in hemiplecticis a ſomno: tabaci fumigatio funeſta hemiplectico. 62-70. apoplexia: differentia a ſyncope: an ſubito ſemper necet? caſus varii: omne auxilium curatiuum decem momentis conſiſtit; ſedecim aliis continetur conſilium praeſeruatiuum: fit mentio ſacculorum, praecordiis applicandorum, olim decantatorum; dubitatur autem de effectu illorum. 71. ſaliuae excretio multa. 72. 73. dentium vitia: euulſio diſuadetur. 74-90. vigiliae et ſopores: cauſae vigiliarum: cura vigiliarum: amara medentur vigiliis, aloe, hepatica praefertur ſuccoterinae: eius vſus in phre-

phrenitide, quin in maniae initiis, addita camphora, et ſub vſu pediluuii frigidi: actus coniugales contra vigilias. Sopores, periculoſiores vigiliis, inprimis comitante anorexia vel vomitu: proſunt apophlegmatizantia, ſcarificatio in vertice, venaeſectio, frictiones artuum, pediluuia tepida, frigida; clyſteres, purgantia. 91-95. Deglutitio difficilis, et angina. 97-99. turſis, medetur venaeſectio, pinguia, aromata, camphora, opium, induſium laneum, victus conueniens, medicinae faſtidioſae multum derogans: grandaeuus a tuſſi ferina, veſpertina, mane mortuus repertus: alii bubonocelen creat. 100 Phthiſis, ſenibus rarior: pſeudophthiſis. 101. 102. Aſthma. 103. catarrhus ſuffocatiuus. 104. polypus: caſus, absque praegreſſo pulſu intermittente: de pulſu intermittente, et palpitatione cordis. 105. hydrops pectoris. 106. 107. haemoptyſis: de vomitoriorum, et glaciei vſu: haemoptyſis non obſtat progreſſui ſenectutis. 108. pleuritis: vſus vomitoriorum. 109. pleuroperipneumonia; admittit vomitoria, catarrho ſuffocatiuo vrgente: 110. anorexia: in ventriculi idiopathica valent interdum carnes, et piſces fumati. 111. vomitus, cum vel absque anorexia. 112-117. Flatulentia varia; in diaetae regulis magna vis: mors ſubitanea a flatulentia vexati confrictio oſſis ſacri cum genubus et calcaneis remedium. 118-21. colica, varia, apoſtematica acutiſſima. 122. 23. alui obſtructio

ex

ex cauſa varia: per victum fiat medicamentorum faſtidioſorum derogatio. 124. 25. diarrhaea. 126-31. nephritis calculoſa: eryſipelas ſaepe mentitur nephritidem: laxantia efficaciora facile iſchuriam inducunt periculoſam: de lithontriptico anglico. 132. 33. mictus cruentus. 134. haemorrhoidum fluxus. 135. 36. menſtruatio vetularum, et puerperium: philonium roman. in nimio fluxu vterino valet ob coniuncta acria. 137-40. cachexia et hydrops. 141. 42. oedema pedum: caſus funeſtus. 144-46. incontinentia vrinae: diabetes: caſus memorabiles. 147-50. ſtranguria, varia ex cauſa, varia methodus. 151. dyſuria 152-55. Iſchuria: inquiſitio in cauſas, per ſectiones cadauerum. 156-61. eryſipelas vlceroſum in grandaeuo. 162-63. ſphacelus pedum. 164-65. podagra; caſus de inueterata quinquenni. 170. malum iſchiadicum. 171. arthritis vaga: repetitio moniti circa veneſect. in grandaeuis. 172-73. ſcabies; caſus memorabiles. 175-77. Maraſmus ſenilis: caſus notabilis. 178. leuioris momenti affectus ſeniles. 179. immunitas ſenum a peſte, febb. petech. ſcorbuto.

Cap. III. §. 1. Felix longaeuitas, ſi cum vigore animi et corporis coniuncta eſt. 2. 3. conſilia a generationis primordiis in hunc finem data. 4-9. partim probanda, partim inania et fruſtranea, vti HVARTI doctrina, *de procreandis excellentibus ingeniis* 10. 11. eſſentialis cauſa grandaeuitatatis et longaeuitatis haeret in perfecta mixtura partium conſti-

tutiua-

tutiuarum ſanguinis, et in perfecta, firmaque conformatione omnium partium ſolidarum: haec raro combinata conditio, dat raritatem maiorem longaeuorum hominum, quam animalium, in quibus felicius radicata eſt haec haereditas. 12. ideo tamen non inuitantur homines ad ſolutum vitae genus. 13. an detur homo perfecte valens, et an vitioſis humoribus abundare, et ſanum eſſe, ſint compatibilia? 14. ſanitas, cum, certo reſpectu, vitioſis humoribus compatibilis eſſe poteſt. 15. longaeui per omnem vitam non aegrotantes, perfecte valentes dicendi ſunt. 16. valetudo imperfecta in imbecillitate corporis conſiſtit, gradu tantum differens a perfecta, nec ideo morboſa appellanda. 17. pro conſilio ad ſenectutem longaeuam dando, diſtinctio habitus, inter *ſtrictum* et *laxum* ſeruanda. 18. deſcriptio habitus ſtricti, robuſti, valentis, et habitus laxi, robuſti, perfecte valentis: porro, habibitus ſtricti imperfecte valentis, et laxi imperfecte valentis. 19. habitus corporis magis a craſi ſanguinis dependet, quam a conditione fibrarum: vſus rerum non naturalium generaliter commendatur, non ſpecialiter, vel cum cautelis, quia bonum regimen totum cautela eſt. 20. tres regulae generales ad bonum regimen commendantur. 1. pro naturae inſtinctu victum ſibi eligere. 2. excretionum corporis, trium primariarum ſtudere. 3. animi ſerenitatem ſeruare: de aeris mutatione notabilia. 21. conſilia ſpecialia, reſpicientia

cientia duas priores regulas, habitui ſtricto robuſto. 22. habitui ſtricto tenero. 23. habitui laxo robuſto. 24. habitui laxo tenero. 25. 26 de balneis et lotionibus, calidis et frigidis. 27. vnum regimen omni nationi non praeſcribendum; parallelismus autem ex datis monitis dabitur. 28. tertia regula generalis, ſerenitas animi, conſideratur. 29. conſilia primaria RANCHINI ad longaeuitatem. 30. examen horum conſiliorum. 31. WELSTEDII ſententia, *Ranchinianae* quoad halitum iuuenum, ſenibus ad prouectam ſenectutem, vtilem, conformis, et de gaudio nimio ſenibus dando, perpenditur; ſimulque, exemplo in contrarium, frangitur. 31. quaeſtionis publicae, medicae, Pariſinae: an iuuenibus ex cohabitatione cum ſenibus damnum? fit mentio, et conſilium practice reſpondendi ſuggeritur. Si autem ſenes ſpiritum vitalem iuuenum, ſucceſſiue, rapere valent, iuuenes gentiles, quorum in praefatione mentio facta, a parricidii culpa ſoluendi ſunt.

PRAE-

PRAEFATIO.

Quicquid viuit, cum corporis vigore et incolumitate diu viuere optat: mortem enim, corporis deſtructionem, odit, quicquid viuit, natura ita iubente. Turpis autem eſt viuendi amor, pietati et ſanae rationi contrarius, qui, ſecundum BARTHOLINVM, Ono *Regi, ſecundum alios vero,* Hacquino, *Sueciae Regi, fuit tantus, vt ad longaeuitatem acquirendam, et torpentem in illa vitam prolongandam, filios ſuos, ſucceſſiue nouem, Idolo immolauit, vt per tot decennia vitam extenderet, paratus, et decimum vltimum immolare, niſi obſtitiſſent ſubditi, illum regni haeredem ſibi poſcentes. Mori animantia, ex ſapientiſſimo Creatoris inſtituto decretum eſt, vti naſci; huius enim viciſſitudinis cauſa mundum noſtrum fecit habitabilem. Interim animantium omnium vitam non aeque longam ſtabiliuit DEVS: ſunt enim, quae citius, et quae tardius denaſcuntur. Sic inter quadrupeda Elephas, Ceruus, etc. inter volatilia, Aquila, Coruus etc. inter aquatilia, Lucius, Cyprinus etc. longaeuitatem longe ſupra centum annos attingere dicuntur: cum e contrario animalia dentur, quorum naturalis vitae terminus vix annum, quin breuioris temporis minutias, ſuperet. Hominitalem longaeuitatem rariſſime, inprimis in hac, quam nos, Europaei dicti, incolimus mundi parte, dari cognitum eſt: indicant enim annuae annotationes, in*

hominum

hominum aetatem, et numerum mortuorum concinnatae, vix viginti inter mille annum aetatis octogeſimum attingere; et licet in reliquis animalibus ſine dubio ſint, quae, non attingant omnia eandem longaeuitatem, tamen numerum longaeuorum animalium brutorum, ſuperare numerum hominum longaeuorum, ideo pro certo habendum eſt, quod, licet illa grauioribus aeris iniuriis, fere perpetuis, expoſita ſint, minus tamen, ex fibrarum et ſanguinis firmiore compage, aegrotent, quam homines.

In humano genere ſexum ſequiorem, prae ſexu potiore, ſummos ſenii annos frequentius attingere vult GOHLIVS, *in Actis Medicor. Berol. quam rem etiam quotidiana attentio, quoad annos grandaeuitatis, non autem quoad annos longaeuitatis (de qua diſtinctione mox plura) certiorem reddit: nam, ſi adeſt forſan exemplum vnum vel alterum mulieris centenariae, decem aderunt exempla marium, aetatem ſupracentenariam explentium, licet negandum non ſit dari, in ſexu ſequiori ſupracentenarias feminas. Sic anno 1753. innotuit, ex nouellis publicis, in Heluetia vixiſſe virginem annorum centum et triginta quinque, quae vltra centum annos ex eleemoſynis vixit, nunc, elapſis aliquot annis, crurum, et viſus debilitate laborantem. Addebatur, illam gaudere memoria et iudicio perfectis, vtrumque etiam eximie roborari, ſi hauſtu vini refocilletur vetula. Praeterea, A. 1756, menſe Martio, ex Anglia nobis narrabatur, obiiſſe ibi feminam annorum tredecim ſupra centum, poſt duarum ſeptimanarum languorem, quae tanta eo vsque viguerat viuacitate, vt eodem anno ludibus ſcenicis (moresques) interfuerit, ipſa ſaltatrix. Firmius certe conſtructum eſſe ſexum ſequiorem humanum, non*

ſolum

ſolum aperte, plerumque, in eius externa patet ſtructura, dum corpus femininum, non ſolum columnis amplioribus, feminis puta, a quibus ipſis et nomen et titulus, gaudet, ſed et ipſa fibrarum ſtructura id confirmat, quae licet communiter conſtet fibris ſubtilioribus, tamen maiore multiplicatione, et firmiore connexione, illarum ſubtilitatem egregie compenſat. Adde, quod ſanguis feminarum, ad exaeſtuationes, et ſubtiliſationes pronior, materiam elaſticitatis ſibi abundantius generet: hinc eſt, quod, quae non ſunt delicatae, ſed roboris plebeii, non ſolum laboribus aſſiduis, et migrationibus pedeſtribus, ſed et ſaltationibus continuatis magis durent, quam mares; imo corpus aeque expedite ad ſtupendos ſaltus proiicere valeant, quemadmodum id theatra ſaepe docent. Nec valde rara ſunt exempla feminarum, ſub ſago virili ſecrete perſonatarum, duriſſimos militum labores exequentium. Vt taceam inſolitos illos motus conuulſiuos, quibus feminae, prae viris frequentius, mire et miſere torquentur, rationem ſuam, tam in differente ſanguinis craſi, quam fibrarum ſtructura habentes.

Nec huius rei vlterior ratio deficit, cum recordamur, partes ſolidas feminarum diſtenſionibus multiuariis, ex maſſa ſanguinea oriundis, deſtinatas eſſe, dum haec non ſolum ſub quauis menſtruatione aeſtuat, ſed etiam grauiditatis tempore, vbi retentio ſanguinis menſtrui omnem minimam vaſculi, totius corporis, cauitatem diſtendit, et replet: qua diſtenſione, et poſtea ſuccedente remiſſione, fibrae motrices, dictis exercitiis, et motibus fauentes (non autem ipſe vterus, vti incongrue exponitur in Comment. Lipſ. Vol. V. p. 144.) in elaſticitate exercentur, et hac viciſſitudine, niſi nimia frequentia violentiae ſpeciem faciat, et morboſa

conſti-

conſtitutio remaneat, (vide Cap. II. §. CXXI.) roborantur. Interim haec beneficia non ſufficiunt ad longaeuitatem, maribus familiariorem, acquirendam; ipſa enim, quae dicto modo, ad actiuitatem facere videtur menſtruatio, tandem ipſa vaſa ſanguifera atterit, vnde illorum atonia, et ſanguinis deficiens, et languidus motus, cum ſuccedente totius corporis languore, hinc

Serior eſt maribus languor; viridisque ſenecta
Sufficit ad validos motus,

HEBENSTREIT *de hom. ſano et aegro. P. II. C. VI. §. 12*

Dicta haec elaſticitatis reciprocatio coincidit, quodammodo, cum illa, quam populi boreales in balneis suis exercent, et inde corpora ſua ad motus, et exercitia roborant, dum calore enormi ſanguinem adeo exaeſtuant, vt vaſa capillaria, cutisque fibrae adeo rubeſcant, vt illos ſanguine perunctos crederes: quam fibrarum diſtenſionem mox ſuperfuſa corpori frigida, vel hyemali tempore, robuſtiores, volutatione corporis in niue, ad priorem diametrum reprimunt.

Vbi apud populos quosdam, olim mos mortuos cremandi fuit, et adhuc apud orientales viget, ibi feminarum corpora lucidiore igne cremata fuiſſe Hiſtoriae perhibent, idque ideo, quod illarum corpora pinguioribus humoribus, prae maſculinis, praedita fuerint reperta. Hanc certe craſeos differentiam multum valere ad declinandos morbos ſeniles neceſſe eſt: hinc etiam obſeruamus, feminas, modo primis in annis, a ceſſatione menſium ortos, morboſos affectus ſuperauerint, non adeo frequenter laborare morbis ſenilibus, quam mares,

Memorabile praeterea eſt hanc proprietatem, eo pingueſcendi facultatem, etiam in animalibus brutis femininis, adeſſe, prae maribus, Nec non, quod canes venaticae, prae venaticis maribus, velociores ſint, et quod in antiquis certaminibus, equae prae equis ſaepius palmam reportauerint. Abunde inde patet, vbique fere, in feminino genere, ſingularem fibrarum agilitatem, et ad motum diſpoſitionem, per ſe, reperiri. Quod autem adhuc attinet ad longaeuitatem, nonne videmus, etiam in brutis, maſculinum genus diutius viuere, quam femininum?

Morboſa ſenum valetudo adeo intolerabilis fuit multis olim populis, vt hiſtoriis exempla monſtrantibus, illam communiter morte ſpontanea finiuerint. Referunt enim quae proſtant de Lapponibus, *Danis, et reliquis maris borealis accolis, illos, cum ſenii incommoda diutius ferre recuſauerunt, coronis ornatos, ex rupibus in mare propendentibus ſe praecipites dediſſe, huncque morem familiis quibusdam, adeo ſacrum fuiſſe, vt in eiusmodi rupes ius habuerint haereditarium, nec alii familiae ſuos ex iſta rupe praecipitare permiſerint.* Bartholinvs *addit, in* antiquitatibus Danicis, *Danos hoc mortis genus ideo expetiuiſſe, quod cum Aegyptiis crediderint, hominem ex ligno creatum fuiſſe, ideoque mortem in vndis ſubire non expauiſſe, quoniam ex ligni natura ſe ad maris abyſſum non deſcenſuros, ſed natatu ſuperſtites futuros crediderint. Humidam ſic ſibi adſciſcebant mortem humidae et frigidae plagae incolae.*

Contrariam mortis ſpeciem, ob aegritudines ſeniles, olim expetiuerant ſiccae et calidae plagae inhabitatores, Indi, *Aſiatici, et quidem horum viri ſapientes, referente id* cvrtio, *Lib. VIII. his verbis*

„Vnum

„Vnum agreſte, et horridum genus eſt, quos ſapientes „vocant; apud hos occupari fati diem pulchrum, et „viuos ſe cremari iubent, quibus aut ſegnis aetas, aut „incommoda valetudo eſt: exſpectatam mortem pro „dedecore vitae habent, nec vllus corporibus, quae „ſenectus ſoluit, honos redditur.

Americani, alia minus ſolenni methodo vitam aegram et ſenilem finiunt: nam referente PISONE *in* Hiſtoria naturali Braſiliae, *aegri, de recuperanda valetudine deſperantes, (quod in ſenibus maxime eſt obuium) clauis ligneis ſe occidere faciunt. Eadem lex, idemque mos plurium barbarorum populorum fuit, nam nunc ſenes ad ſocietatem, pro opinione illorum, vel reuera inutiles factos, ipſo ſaepe ſenum deſiderio, vel etiam inuitos, (vti id Germaniae borealibus populis etiam in vſu fuiſſe hiſtoriae docent) fuſte, nunc veneno et fame necabant.*

Allegari nunc quidem poſſent populorum quorundam exempla laudabilia, piiſſima, erga ſenes praeſtita, qualia dant Aeneae, Scipionis, aliorumque pietates laborioſiſſimae; ſed aliud genus pietatis, ad horrorem exceſſiuum, nobis largitur MARGRAVIVS, *in ſua* Hiſtoria Braſiliana, *de populis Americanis* TAPVII *dictis; illos nempe, non ſolum ſenes ſuos, per omnem longaeuitatem, qua aliquando ad ducentos annos perueniunt, valde inualidos, lectulis ſuis penſilibus, ad ſpontaneum ſerumque naturalem vitae terminum vsque, humeris ſuis portare, ſed et tandem demortuos carnetenus comedere, oſſa vero remanentia conſeruare, et illa diebus feſtis, bellariorum loco, dentibus rodere, ſicque ex filiali pietate viua ſepulchra parentum fieri. Diuerſa, diuerſarum regionum incolis ſunt ingenia.*

Sint ſeniles hominum anni, ob vires, et valetudinem fractas, taedio pleniſſimi, abſint tamen nefandi, et impii tales ritus. Congruum magis eſt mala, quae aerumnoſam reddunt ſenectutem, ſecundum ſenii proprietates ſcrutari, et quomodo leuari poſſint affectus ſeniles, pro virili tentare: nec obſtet ſaepius obſeruata adynamia artis medicae in ſenibus reperta. Docet enim experientia, et docebunt caſus grauiſſimi capitis ſecundi huius opuſculi, in morbis ſenum non ſemper deſperandum eſſe.

Plures ſane de infantum valetudine proſtant tractationes, quam de ſenum, quaſi hi, vtpote morti vicini, a ſuis incommodis liberari non poſſint, et iuſtior videatur cura infantum, quo in reipublicae vſum excreſcant, et ſenium attingant. Quae, licet quidem non ſint abſona, tamen ob officia, quae ſenes reipublicae praeſtiterunt, et ob reuerentiam, quam ex naturae inſtinctu, et ex praecepto diuino, canitiei debemus, ſenum curam habere, natos imprimis, et Medicos, de hominum valetudine ſollicitos, decet, oportet. Hinc etiam eſt, quod in bene conſtitutis rebus publicis, ciues ſenio obrutos, et ex ſenilibus affectibus aegros, eoque ipſo, tam ad officia ſocietatis praeſtanda, quam ad panem lucrandum ineptos factos, publicis ſumtibus alere ſolenne ſit.

Quoniam autem inter ſeniles annos magna datur differentia, hanc ante limen tractationis diſpicere neceſſe eſt. Riverivs L. I *Inſtit. ſenectutis annos, in tres ſubdiuiſit partes: in* ſenectutem primam, *quae ipſi eſt a quinquageſimo ad ſexageſimum aetatis annum; in* aetatem ingraueſcentem, *ab anno ſexageſimo ad annum ſeptuageſimum: in* decrepitudinem *a ſeptuageſimo anno, ad vitae finem. Multi etiam Medici,*

dici, inter quos et FLOYERVS, *in ſua* Medicina Gerocomica *hanc ſequuntur diuiſionem, quia poſt annum quinquageſimum vires hominis labi incipiunt, dicterii memores: ſenectutem non annis menſurari, ſed viribus. Verum, ſi pro menſura virium ſenectutem primario iudicandam eſſe ſtatuimus, ſaepiſſime, ſane, poſt emenſos ſexaginta, imo ſeptuaginta annos, hominem, non ſenem, ſed iuuenem inueniemus, quoad vires, et vice verſa aliquando ſenem ante quinquaginta annos. Quid enim ſibi vult proprie, decrepitus, et decrepere? nonne ſummum virium, per aetatem grauem, lapſum, et ad mortem propinquitatem? (Audies mox* RANCHINVM,) *an, cum pleno et fere iuuenili vigore corporis ſplendentem virum, vel feminam ſeptuaginta annorum, inter decrepitos numerare licet? et, ſi ſecundum vires ſenium aeſtimare debemus, et non ſecundum annorum numerum, quem locum inter vetulas dabimus ſaltatrici 113 annorum, de qua ante mentionem fecimus? hac ratione illa inter iuuencas ponenda erit, et alia inualida 50 annorum inter decrepitas. Iuſtum itaque duco, ſenium pro origine vocis, aetatem dicere, cum anno vitae ſexageſimo incipientem, vel finitam; quia ipſa vox,* ſenium, ab annis decies ſenis *expletis, vel inceptis, originem trahit. Aetas ſeneſcens poſſet dici illa, in qua quinquaginta numerantur anni: ſenilis autem, et ſenium comprehendit annos decies ſenos: pari iure, vti inter aetatem adoleſcentem et adultam realiter diſtinguimus. Anni itaque non vires diſtinguant ſenium, niſi tropica dictione vti amemus, vti mox etiam apud* RANCHINVM *videbimus.*

Ab anno itaque aetatis ſexageſimo ſenium primum *incipere ſtatur, terminumque ipſi figo ad annum ſe-*

ptuageſimum vsque: quae ingraueſcens ſequitur ae-tas, grandaeuitatem, *illiusque durationem ad annum nonageſimum vsque extendere placet: quae autem hanc adhuc ſequitur aetas, et vitae prolongatio,* longaeuitatem *nominare, eiusque terminum vltra centum annos, nullo poſito limite, liberum ſinere lubet. Quod autem in his gradibus formandis inaequales poſuerim terminos, dum ſenii ſtadium, intra decennium incluſi, grandaeuitati autem viginti annos largitus ſum, e contra longaeuitati nullos poſui limites, id ex hac egi ratione, quod in ſenii dato decennio vires hominis ſenſibiliter ruere incipiant: grandaeuitatem autem a ſeptuageſimo anno appellandam eſſe ſtatui, quod pauci homines hos annos attingant, et, ſi attingant, grandes aetate eſſe oculis id luculenter incurrat; cum illi, ſimpliciter ſenes dicti, ſaepe dubiam fronte ferant ſenectutem, i. e. ex flore faciei, et corporis vigore apparente dubitentur ſenii annos attigiſſe: ad nonageſimum autem annum prorogaui hoc ſtadium, vt longaeuitati, in valde remotos, longos, annos ſe interdum extendenti, nil, vel anticipem vel detraherem, quippe notum, illam ſaepius vltra centum et viginti annos ſe extendere.* Meibomius, *in* tractatu ſuo epiſtolari de longaeuis, *octogenarios iam longaeuos nuncupat, et illorum tres ponit gradus, 1. octogenariorum. 2. centenariorum, et 3. centum et viginti annorum ſenum, et hac ratione ſenium diuiſit ſolummodo in ſenium proprie ſic dictum, ſeu primum, et in longaeuitatem. Libera eſt cuilibet placens diuiſio; arridet tamen ea magis, quae naturae rei eſt conuenientior.*

In pertractatione operis, primo capite, hiſtoriam ſenum, grandaeuorum et longaeuorum, tam quoad il-

lorum exiſtentiam, quam quoad illorum proprietates, et corporis mutationes, tam externas, quam internas, nec non de vitae regimine, de repueraſcentia, etc. ſiſtam: capite ſecundo morbos ſenio ſolennes pertractabo, adductis caſibus, ex auctoribus, maxime autem ex illo magno Promtuario, quod exhibent Ephemerides Academiae Naturae Curioſorum, *vt et quibusdam, ex propriis annotationibus, allegando tantum eſſentiales eorum circumſtantias, ne prolixitas aſſurgat non neceſſaria. Tertio capite, quid ad ſenium omne acquirendum iuuare valeat examinabo, et docebo.*

Veritus equidem ſum, ne, quae de hac materia conſcriberem, conueniant cum illis in plerisque, qui ſenectutis affectus iam pertractarunt, et quomodo longaeuitas ſit acquirenda, docuerunt, et in hunc finem perluſtraui auctores, qui ad manus fuerunt: incidit autem mihi ſolius FLOYERI Medicina Gerocomica, *qui ſenibus conſulens, praecepta illis reliquit magis ſpecialia, tam quoad res non naturales, et regimen diaeteticum, quam quoad vſum medicamentorum.*

Deſideraui, in prima editione huius Tractatus praefatione, ea, quae celebris BACQVERE, *in ſuo* Medico ſenum, *ad hanc doctrinam propoſuit, et ſimul quae* RANCHINVS *celebris, in* Gerocomica *ſua forſan docuerit, quod ſi hos tractatus perluſtrare mihi contigiſſet, quid agendum mihi facile decretu fuiſſet: vel enim illuſtratione quadam illorum theſes ampliores reddidiſſem, vel ſi forſan, materiam, ab illis dignius pertractatam offendiſſem, a propoſito meo plane receſſiſſem, vti verba mea, ibi legebantur. Verum, cum iam* RANCHINI Gerocomicae, *laetus, compos factus ſim, huius* Sciagraphiam, *fideliſſime paratam, Lectori beneuolo, perluſtrandam, hic ſubnectere volui. Re-*

peribilis autem eſt inter opuſcula FRANCISCI RANCHINI, *conſiliarii, medici, et Profeſſoris Regii, Vniuerſitatis Monſpelienſis, Iudicis, et Cancellarii, edita Lugduni 1627. fol. min.*

Sciagraphia Fr. Ranchini Gerocomices Praefatio.

G*erocomices vtilitas et neceſſitas. De Senii natura et differentiis; optime definitur per vltimam vitae portionem frigidae et ſiccae temperiei. Praeter varias differentias, inter quas et illa, ab annorum multitudine ſumta, notandae ſunt, primario, 1.* viridis, *dum ſenes adhuc ciuilia negotia obire poſſunt. 2.* matura, *ſeu ſenium ipſum. 3.* decrepita, *ſeu exitialis, funebrem pompam indigens. (conſ. quae de decrepito iam dicta.) De ſenectutis ortu et progreſſu, et termino; communiter circa 50mum annum ſeneſcere incipimus, et tunc ſequuntur modo dictae tres differentiae. Ex autoritate Sacrae S. terminum dat annus 80mus, quicquid narrent hiſtorici, de variis barbaris, 100, 200, 300 annos viuentibus.*

Gerocomices diuiſio generalis, in diaeteticam *et* therapeuticam. *Pars Ima Diaetetica. Sect. Ima Cap. I. an diaetae ſit ſenibus neceſſaria? affirmatur. Senes nec vt aegri, nec vt ſani, nec vt neutri, ſed vt conualeſcentes ſunt diaetandi cibis reſtaurantibus. Diſputatur inter Hippocratem et Galenum, an calida et humida diaeta conueniat, frigidaue et ſicca, et ſalita? Cap. 2. Aer calidus et humidus ſeni conueniens; vernalis noxius; ab aere veſpertino laeſi ſenes fumigatione ſe leuent, et caput flamma, ex roſmarino, vel ſarmentis vitis calefaciant, ad vapores frigidos reſoluendos. Cap. 3. De locis ſenibus idoneis; inhabitent loca ſalu-*

bria et iucunda. Cap. 4. De potu ſenum: aquam vino, melle, glycirrhiza mixtam bibant; vinum ſpeciatim commendatur ex Platone, vt timoris pharmacum, ingenii incitabulum, ſomni illecebra, ſenectutis reſtauratio, moderate ſumtum. Cap. 5. De nutriendis ſenibus: cum Galeno ſalita, piperata, in cibis admittuntur, ad appetitum, et correctionem alimentorum; moderate vtantur alimentis ſimplicibus, et recentibus, ex carnibus magis, quam ex vegetabilibus et piſcibus. Cap. 6. Exercitatio ſenibus ſalutaris eſt. Cap. 7. Somnus et vigiliae alternent. Cap. 8. an, et quomodo adcubitus puellarum ſit ſenibus ſalutaris, et viuiſicus, vt et iuuenum vetulis; puellarum corpora calida et humida, et halitus ſuaues, ſenibus frigidis et ſiccis, et iuuenum vetulis, conueniunt, quintupliciter. 1. ad calefaciendum. 2. ad iuuandam concoctionem. 3. ad ventriculi robur augendum in adcubitu, loco catelli. 4. ad viuificandum cor, per oſcula puellarum, citra amorem. 5. ad vitae principia augenda. Tabeſcunt puellae, ſi per annum, aut diutius, cum ſenibus cubent, experientia teſte; iuuenes autem, qui cum vetulis coeunt, illas de nouo viuificant, ſibi ſenectutem accelerantes. Cap. 9. De inanitione et repletione; maxime aluum ſoluentibus, et vrinam mouentibus opus eſſe, vult Galenus. Cap. 10. an venus ſenibus, vetulisque? declaratur peſtis honoris et vitae ſenilis: admittitur bene valentibus: vetulis autem ſemper ſalutifera. Cap. II. de animi pathematibus: in ſenibus moderatio non ſolum glorioſa, ſed neceſſaria, quia paruis ſuperuenientibus paſſionibus facillime moriuntur, ob calidi natiui paupertatem: muſica conuenit ſenibus. Sectio IIda, Cap. I. de potu ſenum: ſit aqua cum vino, et vina artificialia, hippocraticum: et ce-

reuiſia, quae ex melle hordeo, et lupulo paratur: conueniunt etiam varia decocta ex hordeo, ficubus, paſſulis, etc. cereuiſia quae ex aqua ſtagnante, fereque putrida paratur, reprobanda eſt. Cap. 2. de victu ſenum: ſit bonus panis, legumina mitia, fructus maturi, non ad ſaturitatem, ſed ad voluptatem: ficus ſale conditae, recentes, caules, radices, herbae, etc. in iuſculis: ex animalibus caro muſculoſa optima; ſequuntur teſtes animalium, ex animalibus florentibus ſucculentis, ſecundum Galenum; qui et carnes ſalitas meliores eſſe iudicat; adſentit auctor quoad carnes ſucculentas, et ſpirituoſas ſuum. Lac ſenibus vtiliſſimum, naturae amicum, et facilis concoctionis, obſtructiones alui impediens, imprimis aſininum, addito pauco melle, vel ſale ieiuno ſtomacho bibitum. Caſeus magis nocet, quam prodeſt. Sanguinis humani iuuenilis ex vena brachii hauſtus et potus, quem ad longaeuitatem quidam commendauerunt, damnatur. Ex auium genere ſucculentae proſunt, item illarum oua molliter cocta, cum paucis granis ambrae: mel laudatur; piſces parum nutriunt; interim ſaxatiles, et quorum caro facile concoquitur, edantur: vegetabilium vſus non eſt adeo proficuus, quam animalium, vino, pane, et fructibus exceptis. Sectio IIItia. De diaeta particulari ſenum. Mane in lecto fricentur per ſemihoram, cum linteo calido, vel panno, oleo amygdalarum leuiter imbuto: deinde veſtiantur calide; poſt reddant vrinam, et aluum; caput fricent, os vino abluant, et oculos lauent: ientaculo ſit vinum hippocraticum, aut iuſculum caponis, etc. poſtea negotia tractent, ambulent, vel geſtentur, ſi ſunt ſenes maturi *et* decrepiti. *Aduentante hora prandii, iterum mingant, manus lauent, et ſe paſtui*

ſtui accingant. Sequitur conſilium, circa edenda, in prima, ſecunda, et tertia menſa. Poſt prandium ſedent ſopori, leuiori tamen, ſi ſunt apoplexiae obnoxii: poſt ſoporem negotiis iterum, et recreationibus vacent, et conuerſationi familiarium: delectentur etiam venere ridente, non autem ludente, chorea intuitiua, etc. Ante coenam iterum aluum et veſicam exonerent, et in prima menſa acetariis vtantur, etc. De diaeta ſenum aegrotantium: proſunt iuscula medicata, cum herbis, morbis conuenientibus. Docentur gelatinae caponum, cornu cerui, amygdalarum. Iura carnium parandi modus varius.

Secunda pars, therapeutica. Sect. I. Laudatur ambarum, in puluere et oleo ſumtum, balſamus peruv. et liquidambar, interne et externe; nec non Styrax liquida, Mirobalani, Margaritae, Corallin. de auri virtute dubitatur. Sequuntur formulae medicamentorum, ad ſenectutem retardandam. Balnea commendantur ſenibus validis, non decrepitis, moderate calida: corpora ſint ab excrementis purgata, nec laborent arthritide; ventriculus cum cruſta panis, et vino firmetur. Vnctiones conueniunt ſenibus, cum oleo oliuarum, vel amygdalarum. Humectandum et roborandum cor, *ne eius corpus exſiccetur, internis et externis, humidis remediis.* Hepar *etiam conſeruetur, eſt enim officina ſanguinis; cauendum. ne exareſcat eius ſubſtantia; proſunt aquae deſtillatae, et decocta, abſinthii pontici, etc. vnguenta aromatica.* Ventriculus *roboretur; eſt enim prima officina nutritionis, per decocta, balſama et ſpecies, ne langueſcant eius functiones.* Teſtibus *remedia ſunt adhibenda externa, quia ineſt illis vis incredibilis, non ſolum ad foecunditatem, ſed etiam ad totius corporis oecono-*

miam

miam ſeruandam, vt apparet in ſpadonibus et eunuchis; praeterea Galenus alterum quaſi caloris natiui fontem in teſtibus agnouit: per teſtes etiam remediorum vis facilius penetrat, quam per alias partes externas: nec extincta eſt teſtium vis, et potentia, nec venus in ſenibus primi et ſecundi ordinis, licet languida ſit; excitetur itaque, non quidem veneris exercendae cauſa, ſed virium roborandarum gratia, vino generoſo calido, aromatibus imbuto: nec priuentur hoc efficaciſſimo remedio vetulae, cum vuluae admotum easdem recreet, pro experimento ſaepiſſimo, habent enim teſticulos internos. Senibus alui libertas procuranda, per alimenta, et medicamenta; laudatur vſus Sennae, Caſſiae, Aloes, ex Galeni ſententia, quia, vltima ventriculum roborat, bilioſa excrementa eiicit, et haemorrhoides mouet: Terebinthina, ceu balſamus, internis vitae principiis familiaris, renes ſimul purgans. Manna. Venaeſectio fiat, ſecundum Galenum, in ſeptuagenariis, qui vires habent robuſtas, et venas ſanguine plenas; habitu aeſtimandi ſunt, non annorum numero: prudentis medici eſt experiri ſacienda, cum cautione: *taxantur, qui ad renouationem corporis omnem ſanguinem ſenilem, ſenſim, euacuari, et meliorem, per alimenta, et medicamenta ingeri poſſe putant. Cucurbitulae, ob humorum, e capite in thoracem effluxum, commendantur; et hirudines, in variis externis affectionibus. Fontanelli etiam valde proſunt, ad pituitam euacuandam. Sect. IIda. Cap. 1. Senectus eſt morbus, quia eſt marasmus, et via ad interitum, ſecundum Galenum. Signa ſenectutis 1. annorum multitudo. 2. ariditas cutis. 3. canities. 4. triſtitia cum moroſitate 5. ſenſuum imbecillitas, et manuum tremor. 6. deſipientia.*

tia. Prognoſis: moleſtum eſt animal, ſenex domi ſedens, ſecundum Ariſtot. Eſt morbus incurabilis. Cap. 2. Cachexia, ſaepe colludit cum cacochymia; et licet incurabilis videatur, in occaſu vitae, tamen aliquid tentandum, vitando aerem humidum, otium, triſtitiam, ſomnolentiam; et vſu alimentorum boni ſucci, frictionum, et ambulationum: ventriculus et hepar roborentur amaris: diuretica et purgantia adhibeantur. Cap. 3. De totius corporis pruritu; cuius tentanda potius curatio, quam ſperanda, ob coniunctam cachexiam, cutisque exſiccationem; interim, abſtineant a vino, ſalſis, piperatis, caepis, etc. calida hepatis intemperies iusculis conuenientibus corrigatur: ſi ſenex viridis eſt, ſangninis vnciae ſex mittantur; balneum aquae dulcis prodeſt: cuti inſpergatur farina lupinorum, et ſulphur. Cap. 4. Cutis corrugatio poſcit medicamenta erugatoria Galeni, et Dioſcor.

Morborum ſenilium particularium. CLASSIS Ima. *Apoplexia, eſt quadruplex 1. acutiſſima, derepente, motu, ſenſu, reſpiratione, et vita priuans. 2. fortis, cum reſpiratione, difficillima. 3. cum minus difficili reſpiratione. 4. debilis, curabilis, cum tertia, in paralyſin abeuns. Cauſa eſt aer frigidus, vini abuſus, venus coacta, cerebri intemperies: proſunt ſuppoſitoria, clyſteres, primo emollientes, poſt fortiores, purgantia, veneſectio, capitis ſcarificatio, et veſicantia ceruici applicita: interne, aqua vitae, theriaca coeleſtis, etc. dentur. Cap. 2. Vertigo, oritur a conſtitutione auſtrina, a ſomno immoderato, animi pathem. venere, capitis concuſſione, etc. in paroxiſmo proſunt frictiones et clyſteres, ſpiritus theriacalis. Extra paroxiſmum vomitus prouocandus, ſi a ventriculo eſt: confert vinum abſinth.*

ſintb. conſ. alkermes, ſcutum ſtomachale: **cauterium** *in tibia: ſi cerebrum laborat, pilulae de agarico: caput roboretur ſuffitu, etc. maſticatoriis, errhinis, non ſternutatoriis: haemorrhoidum fluxus bonus: dormiant moderate: hilariter viuant. Cap. 3. Melancholia, memoriae abolitio, curantur euacuantibus pituitam, cerebrum roborantibus, ſpiritus illuſtrantibus, et multiplicantibus. Cap. 4. Vigiliae moderantur alimentis cum lactuca paratis, lacte amygdalino, ex ſeminibus frigidis, muſica, pediluuiis, et manuluuiis, vnguento populeo in temporibus: abſint narcotica interna. Cap. 5. Viſus vitia: glaucoma perfectum eſt incurabile: oculorum humiditas purgantibus curanda, ſuffitu, cucurbitulis, maſticatoriis, cauteriis, fotibus vinoſis oculo imponendis: pilulae draſticae non proſunt, licet* lucis *appellentur. Cap. 6. Auditus grauis leuior redditur purgantibus, et reuellentibus. Cap. 7. Coryza tollatur diaeta exſiccante, vti alii capitis frigidi affectus. Cap. 8. Dentium caſus praecaueatur collutione oris cum vino, cui incocta ſunt adſtringentia.* Claſſis IIda. *Cap. I. Dyspnoea ſenibus vix curabilis eſt: vtantur aere lucido, tenui, alimentis tergentibus, mellitis, eupeptis, vita frugali, coena parca: abſtineant a lacticiniis et fructibus horaeis. Proſunt, pro cauſa, vacuantia, reuellentia, deriuantia. Congeſtiones in pulmonibus glutinoſae incidentibus et diluentibus, melle ſcillit. conſerua fl. anthos, ſeu remedio praeſtantiſſimo, ſoluantur. Thorax oleo iasmini, vel amygdalar. dulc. vngatur. Cap. 2. Pituita pulmonalis cum tuſſi: Hippocratis commendatus potus vini dulcis tepidus, cum butyro, et ſaccharo, ceu ſterilis, reiicitur; iubetur, ſi humor tenuis influat, cum impetu, ad tuſſim, incraſſantibus mucilaginoſis*

noſis mederi. Si tuſſis vigilias creat, narcotica, cum cautione; humoris influxi expurgatio per anacatharſin promouenda, alterantibus, conſ. roſarum, ſucco glycirrhizae: ad thoracis *dilatationem inungatur oleo amygd. d. butyro. Cap. 3. Cordis exſiccatio praecauenda* victu *humectante, et ſubſtantifico, remediis roborantibus, cardiacis: toties enim ſenium prohibetur, quoties ſubſtantia* cordis *humidior redditur. Cap. 4. Incuruatio, incurabilis quidem, confugiendum tamen ad remedia, quae caput retrahunt, pedes roborant, et vertebras in ſitu continere poſſunt.* CLASSIS III. *Cap. 1. Ventriculi imbecillitas appetitum exſiccantibus, aliisque remediis internis, aromatibus moderatis, externis flatus diſcutientibus, catulis, catis, pullis, cuniculis, ſacculis ex pluma anſerum paratis, nec non balſamo ſtomachali iuuanda. Cap. 2. Hepatis refrigeratio et atonia, praeter debitam victus rationem, varia interna poſcunt: abſinthium, nardum, paſſulas, dulcia, et vinum optimum: hepar lupinum, ab aliis commendatum, reiicitur. Pro purgatione infuſum rhei. Externe, quae ſupra hepati dicata fuere, Cap. 3. Alui humiditas, ſi a cerebro, et ſpumoſa, tunc a cerebro, reuellatur pituita: ſi a ventriculo, tunc valent roborantia et adſtringentia, et externe emplaſtra; ſi impuritas quaedam latet, infuſum rhei, minus forte tamen, ſi a capite fluxus alui. Cap. 4. Nephritis diaetam vult excludentem omnem craſſum victum: praeſeruat butyrum recens cum vino tenui, paſſulae, auellanae, ſex ante prandium comeſtae: conueniunt decocta emollientia et terebinthina, anima renum. Vrgente calculo caute agendum, leuioribus vias renales relaxantibus, clyſteribus, fomentis, balneis, linimentis.*

Cap.

Cap. 5. Stranguria, ſi a frigiditate veſicae dependet, calefacientibus oppugnanda; ſi a debilitate, roborantibus. Valent hic potiones, decocta, iniectiones, clyſteres, fomenta, ſemicupia, vnctiones: appendatur pudendo vitrum oblongum, cum ſpongia. Cap. 6. Dyſuria curatur fere iisdem remediis, quibus ſtranguria, excepto, quod hic diuretica locum habeant. CLASSIS IV. *Cap. 1. Tremor manuum et pedum tollatur, ſub conueniente victu, reſtaurantibus, ſuperfluam pituitam abſtergentibus, et purgantibus, ſi plenitudo: cerebrum ſuffitu roboretur, ſpinalis medulla, vnguento neruali; manus lauentur aqua thermali calida, aut vino ſaluiato, lymphato. Cap. vltimum. Articulorum dolores contingunt per viam fluxionis, et per viam refrigerationis. Diſputatur ampliſſime, an ſit morbus ſenilis? incurabilis iudicatur in ſenibus: nihilominus, ſi a refrigeratione oritur, calida adhibeantur, et topica, in tremore manuum commendata: interne autem Theriaca et Mithridatium. Si a fluxione, res ſex non natur. bene obſeruentur. Manus pedesque, et potiſſimum cerebrum frigori non exponatur. Purgantia etiam competunt, minus valida tamen, ob aetatem. In vſu remediorum contra dolores, cautio habenda, nec narcoticis agendum, ob aetatiuam frigiditatem; ſufficiant lenientia, medulla panis albi cum lacte, ol. ranarum, etc.*

Hoc eſt, amice Lector, integrum compendium Gerocomices Ranchinianae, *cuius variis melioribus praeceptis, facillime accedo, et ſenibus, absque plagio, et invidia, commendo. Interim non potui non, quaedam primaria eius, et ſingularia ad longaeuitatem data conſilia examinare et ponderare, et quidem in fine Capitis tertii huius opusculi. Cum etiam, vti in*

Praefa-

Praefatione dixi, perpauci fuere, qui ex profeſſo, vti loquuntur, de Senio, *eiusque morbis, et de longaeuitate acquirenda ſcripſere; non inutile fore duco, ſi etiam de* IOANNIS FLOYERI, Equitis, Medicina Gerocomica, *anglice conſcripta, ſciagraphiam idiomate latino, ſubiungam, inprimis, cum huius Tractatus, Londini 1724. in 8. editi, recenſionem, in Actis eruditor. Lipſienſium, mentionem non factam eſſe inuenimus. Certe methodum quamcunque longaeuitatis, quam omnes anhelamus, ſaluae acquirendae, in publicum commodum nullatenus celare, ſed pro viribus promulgare, iuſtiſſimum duco, vt quae ſint optima, et ſcopum recte ferientia praecepta, ex inſtructionum farragine prudenter eligantur.*

Sciagraphia Gerocomices Floyerianae Praefatio.

Quadragenarius, vel quinquagenarius factus, vel ſtultus eſt, (ita ſere ſentit CORNARVS) *vel ſit medicus, obſeruando, quinam aer, quae diaeta, quod exercitium, euacuationes, ſomnus, paſſiones ipſi conueniant, vel non conueniant. Horum moderatus vſus conſeruat ſanitatem, et praeſeruat a* cacochymia, *morborum cauſa. Naturalis hominum conſtitutio eſt vel calida, vel frigida, et haec dignoſcitur ex arteriae* pulſu. *Optima valetudo indicatur, per pulſum, matutino tempore, ſpatio horae minuti, 70 vsque 75 vicibus ferientem: qui hunc numerum ſuperat, calidam conſtitutionem indicat, qui autem illum non attingit,*

ſrigidam. Acquiri poteſt calida conſtitutio, vſu diaetae calidae, et ſrigida vſu diaetae ſrigidae. Sanguis ſecundum varias conſtitutiones, varios continet ſapores, acidos, falſos acres, etc. Cacochymiae quantitas per euacuationes tollitur, qualitas per remedia, quae contrarium ſrigidae vel calidae cacochymiae habent ſaporem. pag. 13. Dolet auctor, non noſſe Anglos verum vſum calidi et ſrigidi balnei, Romanis vſitatum, Cacochymiam, omnem morborum cauſam, curantem. Indicationes curatiuae ſumuntur a temperamento, cauſa morbi, et eius vi. Omnia haec ex natura pulſus pateſiunt. Absque externa et interna medicina pauci curantur morbi. Lauacrum, et horologium pulſus, pulſulogium, neceſſaria ſunt, ſeni infirmo, vtenſilia. p. 15. Deſcribenda eſt 1. cauſa ſenii 2. quomodo per ſex res non naturales conſeruanda 3. quo regimine, et ſaporibus medicis, cacochymia curanda, ne morbum gignat. p. 16. Alteratio partium ſolidarum abit in expareſcentiam, circa frontem et oculos et viſcera; hinc mala digeſtio et ſecretio, caſus dentium, et canities. Alteratio humorum in phlegmaticum, et melancholicum ſtatum, ſeri crudi abundantiam; hinc maior propenſio ad morbos chronicos, quam ad acutos. Alteratio ſpirituum apparet in debilitate, motu, tremore, tarda venere, pulſu debili, etc. p. 18. Defectum ſolidarum partium ſupplent lauationes calidae et vnctiones. Defectus humorum requirit curam cacochymiae. Defectus ſpirituum reparatur diaeta nutritiua, et cordiali. Spiritus deſtruuntur vehementibus animi affectibus, magnis ieiuniis, venere immoderata, laboribus grauibus, ſtudiis intenſis; coluntur gaudio, ſpe, recordatione peracte iuuentutis.

Inun-

Inunctio commendatur, cum oleo oliuarum vel amygdalarum, cum ſale; vel induſium oleo tinctum, balneum in tepida et frigida: cibi dulcis ſaporis et grati: in debilitate ſtomachi Aloe, ceu laxans. Oleum amygdal. amararum etiam habet vſum internum, contra viſcerum ariditatem: circulatio optime praeſeruatur, exercitiis et frictionibus, et per induſia ſetoſa. p.20. Caena ex carne reiicitur: in prandio varietas eupeptorum obſeruetur: cereuiſia non fortis, iuscula, vinum, oua, ſunt nutrimentum ſenum. p. 21. Laxantia repetita magis conueniunt, quam exercitia, et ſudores. Terebinthina commendatur. Pulſulogium *ad numerandos pulſus adſit, nec non* Lauacrum *pro lauando corpore: poſt lauationem frictio et vnctio fiat. Cap. I. de cauſis deficientiae partium ſolidarum et fluidarum in ſene. Varii generis ſenes exponuntur, v. g. quidam ſenes habent pulſum, hectico ſimilem, celerem et frequentem, minus dormiunt, et comedunt, etc. alii ſenes floridae ſunt conſtitutionis, cum pulſu pleno et magno, bene comedunt, bene dormiunt, fiunt longaeui, ſi fugiunt exceſſus, et moderata diaeta vtuntur: frigidi et aridi ſenes minus fiunt longaeui: floridi et pingues ſenes cenſendi ſunt medii inter temperamentum acre, bilioſum et ſalſum. Allegantur quidam aphoriſmi ex* SANCTORIO, *de* Senectute, *et ex* ISTERI Comment. ad Sanctor. *cuius conſilium, ſeni primarium eſt*: vni perſpirabili promouendo incumbat, ſi vitam diu ſanus prolongare velit. *Cap. II. de recto vſu aeris, diaetae, exercitii, balnei, vnctionis, frictionis, euacuationis, paſſionum animi, vigiliarum ad ſanitatem tuendam. Circa haec omnia pulſus arteriarum ſunt obſeruandi, quoad numerum et*

vigorem: qui numero et vigore lentus eſt, calida diaeta opus habet; nimium celer autem frigida: ſic etiam quoad temperamentum. Varietas ciborum non conuenit, nec illorum nimia quantitas. Medicinae calidae, vel frigidae, diaetae iunctae, ſtomacho ſunt amicae. Diaeta ſenum dirigatur contra obſtructiones phlegmaticas, choleram, ſerum viſcidum. Frictio pulſum, 7 vel 8 vicibus, auget. Diaeta ſenum contineat quatuor libras per diem: Auctori valebant 3½. (Interpellare hic, loco congruo, liceat FLOYERVM. Duplo maior fuit eius victus portio, quam famoſi illius CORNARI. Hic enim, ſi fides hiſtoriae habenda, ex 26 vnciis vixit, nempe 12 vnciis ciborum ſolidorum ex regno animali, et pane, iuncto ſimul vitello oui; qui cibi, ſi vncia, pro computo medicinali, 480 granis conſtitit, nimii videntur, ſi autem 240 granis, ceu lothi germanici vel ſemi vnciis, tunc modica et ſufficiens octogenario vel nonagenario eſſe potuit. Quod potum autem attinet, vix credibile eſt, ipſi 14 vncias ſuffeciſſe, ſi etiam vnciis magnis, ſeu medicinalibus ponderaueris, nondum enim libra ciuilis inde exſurget, cum notum ſit ſenibus, ad ſanguinis fluiditatem et eius circulum conſeruandum, plus libra, ad minimum, neceſſe eſſe.) *Proponuntur ſexcenta exercitia, vnctiones. Hilaritas conuenit ſeni. Laxantia commendantur, non autem vehementer purgantia. Omnium conſtitutionem homines ſeneſcunt, vtpote ſubiecti variis morbis, et cacochymiis; ideo remediis opus eſt ſpecificis, ad ſingulas cacochymias praeueniendas. Cum autem non vna methodus ſufficiat, ad tuendam ſanitatem ſenum, opus eſt obſeruare regimina, in capitibus ſequentibus com-*

men-

mendata. Cap. III. Regimen extenuans *in plethora ſenis ſanguinei. Signa plethorae ex habitu florido, pulſu forti, vrina colorata, reſpiratione, appetitu bono, ſomnolentia, et motus carentia petuntur. Abſtineant ab omni nutribili, moueantur fortiter, bibant frigidam, vel valde calidam, Thee et Coffee. Vtantur calido balneo, cum multa frictione; ſaepe purgentur: ad ſudorem, et ad diuretica teneantur. Vtantur amaris, acribus et ſalſis, aquis chalybeatis. Pulſus vehemens indicat robur ſenis, quae venaeſectionem admittit, in ſupra ſeptuagenario. Apoplexiam auertit frequens venaeſectio, et purgatio, et potus frigidus, Floridi ſenes calidis ſunt annumerandi, ſed pingues et pallidi, frigidis. Cap. IV.* Regimen reſtauratiuum *in ſubiectis tenuibus. Sit nutriens ex lacte, carnibus iuniorum animalium, fructibus dulcibus, farinaceis, pinguibus, appetitum excitantibus, balneis ter in die, interpoſito potu lactis, et iuſculorum variorum. Amygdala et hordeum, quin capita et pedes ouium, cum aqua pro balneo coquantur. Cap. V.* Regimen contra amaros, acres, bilioſos humores, *qui producunt ructus nidoroſos, ſitim, anorexiam, febres. Naſcuntur tales humores ex mala digeſtione ſtomachi, et ex praecipitata circulatione. Fugienda diaeta calida, et ex dulcibus: vomitoria conducunt, amara, cereuiſia tenuis, vinum lymphatum, ſerum lactis, mane lac ebutyratum, oleracea, aquae chalybeatae, mucilagines, et herbae mucilaginoſae, ceraſa, pruna, poma, et omnes fructus horaei, auſtera, ſal prunellae, et nitrum. Contra circulationem humorum nimiam, opiata. Cap. VI.* Regimen contra inflammationes *et calidos rheumaticos dolores, ortos per viſciditatem*

humorum. In hac cacochymia abſtinendum eſt ab omni calido regimine: venaeſectione opus eſt, vomitoriis, et clyſteribus refrigerantibus. Purgantia aeſtum augent. Serum lactis conuenit, et illud cum fimo equino, et ſpiritu ſalis ammoniaci, quod, et decoctum lignorum, perſpirationem augent. Narcotica commendantur, nec non variae compoſitiones ſaponum, quibus addita ſunt, ſemen ſinapi, oleum ſuccini, balſamus peruuianus, in caſibus paralyticis, poſt rheumatiſmos: nec non in inflammationibus rheumaticis, ſacch. ſaturni et camphora addita, cum decoctis ex vrtica, vel ſambuco etc. Cap. VII. Regimen antiſcorbuticum *ex ſalſa, et corroſiua lympha. Fugienda diaeta ſalſa, et calidum regimen: purgandum tamen, cum aquis purgantibus, Epſonnenſi. Proſunt acida et acerba, mucilaginoſa, aquoſa, auſtera, frictiones et ſaponacea applicata. Contra calculum vitandus omnis turbidus potus, mucilagines, diaeta calida, aromata, putridi cibi. Proſunt diluentia, aquae ſulphuratae, et chalybeatae, nitrum, lac aſininum, ſerum lactis; purgantia, amara, aloe: diuretica proſunt, terebinthina, ad drachmam quolibet mane. Allium, caepe, ſinapi in vino, cum ſucco citri, vitello oui et melle. Praeſeruat potus matutinus aquae, cum ſucco citri et ſaccharo, potus diaeteticus, aquae, lactis, ſobrietas, et frequens purgatio: abſtinentia a venere et lecto molli. Externe ſapo cum ſpermate ceti, oleo ſcorpionum, amygd. amar, oleo tart. per deliq. cum decocto herb. maluae, chamomill. et inſeſſus pro balneo, in bono oleo oliuarum, vel capitum et crurum ouium. Cap. VIII.* Regimen contra podagram, *eius nodos calcaneos et debiles articulationes. In paroxi-*

roxiſmo ſit diaeta tenuis, per 14 dies. Vomitus in principio, antequam dolor artus occupat. Venaeſectio in ſymptomate extraordinario, additis clyſteribus: cum viget in articulis, ſudorifera et diuretica valent. Vitandus cibus ex carne. In fine purgare licet. Praeſeruat abſtinentia a vino, et a multis cibis: ſudorifera, et diuretica: vomitoria, venaeſectio, et purgantia ante aequinoctium. Vitanda acria, ſalſa, aromatica, allium, piper et cibi viſcidi. Aeſtate pediluuium ex aqua marina, et hyeme aqua ſalita calida. Cum podagra pro conſtitutione differat, ita topica differre debent, et pediluuia: aliis fiat ex aceto vini, cum herbis neruinis, aliis, e. g. billioſis, ex mucilaginoſis, farinaceis: pituitoſis autem, ex excrementis animalium cum poſca: in frigida podagra ſpiritus ſalis ammoniaci, cum penna illitus. Componatur ſapo, cum ſalo ammoniaco, nitro, ſale, ſub vſu decocti plantaginis. Idem ſapo fere, addita cinnab. antim. et oleo terebinth. ſub vſu lixiuii in Tophis. *Venaeſectio in principio, vel in fine (nullatenus in paroxyſmo) praeſeruat a paralyſi, apoplexia. Deficiente digeſtione, et materia podagrica ventriculum officiente, nec artus corripiente, ex defectu circulationis, agendum cum chalybeatis, et amaris, extra paroxyſmum. Artus roborat balneum frigidum, finito paroxyſmo. Cap. IX.* Regimen digeſtiuum *contra crudos, viſcidos, tartareos humores et obſtructiones, ſic dicta diaeta attenuans. Haec cacochymia ex vrina albida, pulſu debili, et flatulentia ventriculi cognoſcitur. Euacuationes proſunt: vomitoria, aloetica, ſudorifera et diuretica: fugienda ſunt farinacea, excepto bono pane. Vinum parum prodeſt, et cibi toſti, piperati, ſaliti, fu-*

mati: acria varia, carminatiua, aromata, amara, terebinthina, lixiuia, foetidus caſeus, vrina vaccarum ad purgandum, valent contra cacochymiam frigidam: ieiunia, exercitia valida, frictio cum duabus ſcopis, lotiones cum oleo abſinthii, ſinapeos, cum decocto angel. Lauend. Menthae, et rad. Angelicae: iungantur ſapones acres ex ſapone cum ſinapi et oleo et tinctura piperis, ſale ammoniaco, oleo tartari per deliquium, vnito vſu decocti raparum vel cochleariae. Cap. X.
Regimen cephalicum, *et diaeta contra flatulentos et vitriolicos humores in hypochondriacis et hyſtericis. Haec cacochymia ex acidis ructibus, dolore ventriculi, et abdominis, vomitibus, ſedibus, ſputo, nigris, agnoſcitur: ortis ex ſanguine in abdomine ſtagnante, et putreſcente: adeſt feruor humorum, et mixtura acris bilis, et vitriolici humoris. Ex obſtructione venae portae tales humores producuntur, nec non lepra, cancer, et gangraena. Vitanda diaeta calida, carnes nigrae leporinae, auium aquatilium, ieiunia, carnes ſalitae et fumatae, caſei, etc. Nocent obſtructiones alui. Panis furfure mixtus minus obſtruit. Prodeſt ſerum lactis, clyſteres refrigerantes, lac aſininum, aqua Briſtolenſis. In malo hypoch. calido, diaeta ſit refrigerans. Aciditas, et bilis hypochondriacorum vomitibus et lenibus purgationibus euacuanda. Humores ſalſi ſero lactis, clyſteribus refrigerantibus, balneis calidis, potu aquae, decocto chinae corriguntur: acidi autem aqua calcis, oſtracodermat. lixiuioſis, in hypochondriaco frigido. Grumoſitas humorum ſoluenda eſt antiſcorbuticis, terebinthina, amaris, rad. Aronis, vino chalybeato, ſalibus volatilibus et aromaticis, foetidis cordialibus, et Aloe. In feruo-*

re

re ſanguinis detergentia frigida bona ſunt, cichora-ce : ſalſo-acida, nitrum, ſal ammon. aqua cum ſaccha-ro: fumaria in ſero lactis. Aluus ſemper ſit aperta, ex oleo, vel oxymellis vnciis duabus: noctu oxymel. ſquillit. drachma, in vino lymphato: conuenit ſenna cum prunis. Maniacis venaeſectio ad animi deli-quium, et purgationes, ſerum lactis, balnea calida, ir-rigationes capitis, et opium: poſt tepida balnea; ca-put frigide lauandum: longa mora in balneo frigido ſoporem inducit. In Phreneſi, poſt venaeſectiones, et clyſteres, et opiata, tepida balnea et vnctiones, oleum capiti. In melancholia, frigida diaeta, frigidum bal-neum cum ſapone, cui ſinapi, pyrethrum, caſtoreum, flores aurantiorum, ſpecies diambrae, ol. ligni rhodii carioph. etc. addita, cum decocto Angel. rosmar. La-uend. Cap. XI. Regimen contra varios fluxus. *Vi-ctus ſit ex farinaceis, frugibus, ouis, gelatinis, ex priapo, ichtyocolla; auſteris, cibo vnico. Proſunt immerſiones frigidae in haemorrhagiis, vomitus, epi-themata frigida, ex aceto vini et nitro: opiata, prae-ſente febre cortex peruuianus addatur. Balneum fri-gidum contra ſudorem nocturnum Cap. XII.* Re-gimen contra vlcera renum et pulmonum. *Diae-ta ſit tenuis.* Detergentia, *ex dulcibus, inſipidis, mellitis, cum agrimonia, enulae radice coctis: tere-binthina, balſamus Locatelli: in vlceribus viſcidis de-coctum Guaiaci, cum enula, myrrha: vrina propria.* Sarcotica *ex gummoſis, cochleis, ad pulmones, nuce moſchata et melle, ouis, lacte chalybeato.* Cicatri-ſantia *ex ſtypticis, fol. et radice fragariae, biſtorta: terra ſigill. in omni potu. Decoctum corticis quercus, cum aqua calcis. Cap. XIII.* Regimen contra pruri-

tum, lepram, Herpetem. Proſunt acida, lactuca, melones, cucumeres: ſalſo-acida, ſal prunellae, ſtyptica, amara, myrrha in vino, centaureum in cereuiſia. Acria, vt ſinapi, ruta, cochlearia, proſunt contra putrefactionem: ſalia volatilia autem et fixa praeueniunt diſſolutionem humorum, et curant omne venenum animale, perſpirando, eius partes volatiles. Iactura ſpirituum reparatur croco, kermes in vino aromatico, ſero vinoſo, ſpiritu vini, ſpiritibus volatilibus. Purgantia ex mercurio dulci, et reſina Ialappae: balnea calida; ſaliuatio. Cap. XIV. Regimen cordiale *ad circulationem promouendam. In ſpirituum deficiente influxu in cor, et muſculos thoracis, et in defectu irritationis auricularum, et ventriculorum cordis, vitanda ieiunia, venus, vigiliae, labores, calida balnea. Proſunt aromatica acria, vina hippocratica, ol. cinnamomi, carioph. ſal volat. oleoſ. odorifera, tinctura ambrae gryſeae, et omnia foedita; cereuiſia bene lupulata, et quae in cacochymia vitriolica commendata ſunt: frictiones, aſperſio frigidae in faciem. Lypothymiae frigida fugantur, et vomitibus in malo hypochondriaco. Cap. XV.* Regimen contra Aſthma. *Ante paroxyſmum, imo in paroxyſmo, diaeta ſit refrigerans, nam eſt febris ſymptomatica, ex obſtructione bronchiorum. Poſt paroxyſmum diaeta ſit lauta, ad reparandum pondus nutrimenti, quia paroxyſmus tres eius libras conſumſit. Praeſeruat aer purus, nullatenus vaporoſus. Prodeſt motio corporis, frictiones partiales, et totius corporis. Fugiendae radices, piſa, olera, lac, caſeus. Prodeſt Thee vel Coffee, trihorio a paſtu ad digeſtionem. In aſthmate calido, a ſanguine ſpiſſo, venaeſe-*

ſectio

*ſtio ſit frequens: prodeſt panis triticeus, vel ſecali-
ius, cum ſurfure ſufficiente; decoctum pomorum.
Fugienda acria, ſpiritus vini, piſces, vina rubra, coe-
na ipſa. Proſunt mulſum leue, decoctum glycirrhi-
zae, lignorum. In paroxyſmo ieiunium primo die,
abſtinentia a cibis ſolidis: vinum lymphatum, quies
in ſella, ſal prunellae largiter: ſpir. CC gutt. 20. in
frigida, mane, ad expectorationem: ſternutatoria
promouent expectorationem: vinum ſambucinum,
loco cereuiſiae: oxymel ſcilliticum: flor. ſulphuris, in
pilulis, ſcrupul. vnum: vina, purgantia. Cap. XVI.*
Regimen in defectu organorum ſenſitiuorum. *De-
ficiente memoria in calidis et humidis ſenibus, reme-
dia, et diaeta calida et ſicca requiruntur. Balnea
calida, et olea, vnguentum nardinum, purgantia,
amara, piper; caſtoreum in balneo: interne allium,
ſal volatile, caſtoreum, helleborus albus in ſternutato-
riis: frequens capitis comotio: lac aſininum, Choco-
lade. Si calidum in cauſa eſt, vtendum humidis, bal-
neis temperatis, poſt frigidis, cum oleo roſarum: vi-
num lymphatum, piſces: vomitoria bilem educentia:
venaeſectio, exercitia et frictiones leniſſimae: fugiant
venerem, vigilias, curas, ieiunia, ſtudia. Allegantur
variae theſes ad ſanitatem, ex Auctoribus antiquis.
Cap. XVII.* Variae medicamentorum formulae: *Ima
contra aceſcentiam cereuiſiae in aeſtate, e. g. liquor
nitri fixi, reliquae. contra phlegma pulmonum, poda-
gram, calculum, Ophthalmias, Hydropem, luem vene-
ream, Stranguriam, Surditatem, etc. Cap. XVIII.* De
perfuſione cum aqua calida, *commendat ſtare in va-
ſculo, ad ignem, tunc fricari vndique, lauari cum aqua
ſaponata, teporis vrinae; poſtea perfundi tepida. Mu-*

ria

ria fortis commendatur contra pruritum et ſcabiem faciei: nec non vrina propria, quae etiam oculos clarificat, ex propriis in oculis auctoris, obſeruata; in cap. XVII. *Cap. XIX.* De vſu frigidi balnei *in variis morbis chronicis. 1. Praeſeruat omnes haemorrhagias, ſpeciatim vetularum, nondum quinquagenariarum 2. in rheumatismis, inflammationibus, malo iſchiadico. 3. in flatulentia, malo hypochondriaco et hyſterico, mania, conuulſionibus, tympanitide. 4. roborat partes ſolidas, in Rachitide. 5. in fluore albo, abortu, tuſſi. 6. in calculo et ſtranguria. 7. extinguit ſitim, promouet digeſtionem, auget appetitum. 8. nocet pinguibus, quibus viſcera male ſana, in paroxysmo podagrae, frigidis, pleuriticis. Tempus vtendi ſit a menſe Iunio, vsque in Septembrem, poſt adhibitam venaeſectionem, et purgationem, cum ieiuniis, bis vel ter in ſeptimana.* *Cap. XX. Continet* diuerſos pulſus *in diuerſis ſenibus, matutino tempore, examinatos: Vetulae, 75 annorum, fuit 75 et 76 vicibus. Senis 64 annorum, 84 et 86 vicibus. Aliquibus ſenibus intermittit: aliquibus eſt myurus. Auctoris pulſus menſibus Iunio et Iulio inter 76 et 90 vices pulſauit. Sequitur tandem Appendix, in qua Vnctiones ad ſanitatem, comprobantibus variis Auctoribus, vrgentur: maxime veteribus, et calidarum regionum: olea educenda docentur ex variis ſeminibus, et nucleis, quorum quaedam in proprio corpore expertus eſt auctor, operam impendens conficere ſapones, cuilibet allegatarum cacochymiarum, anticacochymicos. Adiecta eſt epiſtola, de conuulſionibus infantum, et vſu cauterii in hoc morbo, in occipitio appliciti. Claudit opus notitia de manuſcriptis autoris, quae tradidit Bibliotheca*

Oxfor-

Oxfordienſis Collegii Queens-College, in qua mentio ſit, tertiae et quartae partis ſui horologii pulſus. (vbi prima et ſecunda pars horologii habenda ſit, ignotum eſt.)

FLOYERVM *Practicum fuiſſe, attentum, et multae experientiae, ex praemiſſis hisce facile elucet; ideo operae pretium me feciſſe puto, quod de hoc tractatu recenſionem fecerim integram. Cui animus audax eſt, conſilia quaedam, vt valde actiua, ita operoſa, ſequi, patientiſſimo opus habebit aegro. Pulſus numerationem quod attinet, illam nullius vſus eſſe, niſi in ſtatu corporis aegro, cenſeo: variat enim matutino tempore, nunc a coena frugali, vel lauta, nunc a ſomno placido, vel turbulento; ne dicam, de pulſu intermittente et myuro ſenum, ſtante tamen ſanitate.*

Deſiſterem hic aliena ad longam vitam ducentia praemittere praecepta, niſi obſeruatu dignum iudicarem, eodem anno, nempe, 1724to, quo FLOYERI Gerocomica, *Londini prodiit, adhuc duos Tractatus, ſatis quaſi, pro hac materia, certatim militantibus, prodiiſſe; vnum etiam Londini, nempe* WELSTEDII, *de* Vergente aetate, *et* DETHARDINGII Manuductionem ad vitam longam, Roſtochii. *4. editam. De his, absque prolixitate, et tantum tribus quaſi verbis, dicam, quod* DETHARDINGIVS, *ex rebus ſex non naturalibus, 60 regulas, ſcholiis et corollariis 174. docte, locupletatas, conſtruxerit, quarum ductu vita longa ſit aſſequenda*

da. De WELSTEDIO *autem legatur recenſio, quam dant Acta Erud. Lipſ. eiusdem anni, ex quibus pauca, cum Ranchinianis monitis conſpirantia in fine Cap. III. adduxi, ipſe huius Tractatus nondum compos factus.*

Haec ſunt, quae opuſculo huic praefari iuſtum duxi. Sylua tibi iam erecta eſt, amice Lector, ex qua fructus ad longaeuitatem carpere licet.

Si tibi cognita iam ſunt mea omnia, condona, quod lectioni fruſtra vacaueris, et ſi diſplicent data ad longaeuitatem conſilia, ignoſce, et meliora diſcendi in hanc horam cupido, aliisque impertire. Claudam itaque, ad antiqui verſiculi monitum:

Elige quod praeſtat, ſi ſal tibi pectore reſtat:

Qui peiora capit, nil magis inde ſapit.

Dabam Rigae, Anno M. DCC. LIX.

CAPVT I.

Recenſionem hiſtoricam primi ſenii, grandaeuitatis et longaeuitatis continens.

§. I.

Primum ſenium, ſeu primum ſenii gradum homines attingere, quotidianum, et obuium ſatis eſt: ſecundum etiam gradum, grandaeuitatem nempe, occupare, non valde rarum, implere autem illum, i. e. annum aetatis nonageſimum ſalutare, non quotidiana res eſt: rariſſimum eſt itaque, longaeuitatis ſtadium intrare, et in illo plures annos percurrere, vel potius perrepere. Et haec quidem in Europa noſtra ex annuis annotationibus, quae de demortuis in pluribus amplioribus Europae vrbibus publicantur, diſcere ſufficit.

§. II.

Quae autem inter Europaeas regiones plurimos alat longaeuos, inquirere operae pretium videtur,

 cum

cum de his ad numerum grandaeuorum rationem facere, facile ſit.

§. III.

Baco vervlam. in *hiſtoria vitae et mortis* perhibet, Hiberniam et Britanniam, cum Inſulis Orcadibus et Hebridibus continere plures longaeuos, probationis loco indicans, in Britannia vix reperiri villam populoſiorem, in qua non reperiatur mulier et vir octogenarius: putatque ſimul, inſulas continere plures longaeuos, quam terram longe mediterraneam. Non autem hi ſunt longaeui meae theſeos: dari interim in Britanniis et longaeuos meae nuncupationis, ex literis publicis interdum docemur: mentionem enim nuper fecerunt cuiusdam ienkins, in comitatu Yorkenſi, 153 annorum, et alius viri 155 annorum, nec non vetulae cuiusdam 154 annorum: nec negandum, dari etiam in aliis Europae regionibus et calidioribus, et frigidioribus longaeuos. Sic memini, ante aliquot annos mihi per literas, Archangelogrodi datas, relatum eſſe, vixiſſe ibi tunc temporis virum centum et quatuor annorum, qui adhuc officiis duris piſcationis in mari incumbebat. Nec diu eſt, cum de Lappone ſupra-centenario literae publicae nos certiores facerent; praeterea plures centenarios in Lapponia reperiri indicat linnaevs: in quo populo, neſcius, an eo magis, vel eo minus haec res ſit admiranda, quod *communiter* et pane et ſale careat, nec niſi ex carne et lacte ceruorum borealium, piſcibus, paucisque vegetabilibus viuat.

§. IV.

Licet in regionibus borealibus, illarumque inſulis reperiantur lo aeui, parcior tamen [illegible] credo

illorum

illorum numerus, quam qui in Germania, et viciniſ ipſi regionibus reperiuntur: apparet enim ex *Annalibus medico-phyſicis Vratislauienſibus*, ſi illorum vnius ſolum decennii ſpatium percurras, magnus longaeuorum numerus, qui longaeuitatis ſpatium eminenter ſupra centum annos emenſi ſunt.

§. V.

Non dubitandum, et extra Germaniam, e. g. in Hollandicis illis Gerontotrophiis, exiſtere ſemper longaeuos, cum autem illorum, cum moriuntur, non ſemper fiat mentio, maxime illi tantum ad computum trahi conſueuerunt, qui extra Xenodochio hanc aetatem aſſequuntur. In Hungaria longaeuos dari compertum eſt, et inter illos maxime recenſendus venit *Petrus Czartan*, qui ante hos viginti annos obiit, et centum octoginta quinque annos vixit, eoque ipſo *ſupra-longaeuus* nuncupari meruit. Docebamur etiam, 1756 anno, obiiſſe in Hungaria virum annorum 127. Porro, in Gallia, Hiſpania, et Italia longaeuos dari, nemo negabit, cum, vel a priori, multorum in his regionibus vigens vitae ſobrietas id opinari ſuadeat. Sic recenſebatur in Nouellis Traiectinis gallicis, 1754, de vrbe quadam Galliae, *Prades d' Aubrac*, de tribus viris, menſe Maio eiusdem anni mortuis, quorum vnus vixerat annos 126, qui nunquam vinum biberat, nec aegrotauerat, alter faber horologiorum, qui paucos ante obitum dies rei ſuae fabrili incubuit, et annos 118 vixit, tertius annos 112 vixerat.

§. VI.

Interim, cum Hiſtorici Romani, e. g. TACITVS, Germanorum procera corpora, robur, et vires ſummopere, prae aliis populis, mirati ſunt; id poſteris

 creditu

creditu facile reliquerunt, Germanos prae ceteri
Europae populis frequentius longaeuitatem attinge
re: a robore enim natiuo corporis, et patrio, omn
longaeuitatis fundamentum: quod robur, nunc pe
multa iam ſecula mollitie et luxuria eneruatum, cre
dibile eſt, ante eius peſſundationem, maiorem lon
gaeuorum dediſſe numerum, quam hodie: de qu
materia legatur CONRINGIVS, in ſpeciali tractatu, *a*
antiquo corporum germanicorum habitu.

§. VII.

Memoratu autem dignum eſt, illos fere ſolo
fieri longaeuos; qui ex egeſtate parſimoniae incum
bunt, et multis vitae commodis carent, plebeii nem
pe, qui vel opificio, vel militia, vel ruſticis operibu
vitam anteactam ſuſtentarunt. Certe vna eadem
que antiquis Germanis, nulla vel parua Magnat
bus data praerogatiua, vigebat parca vitae ratio;
per hanc temperantiam longaeuitatem acquiri, ſer
tiendum eſt: licet, vti in ſequentibus videbimus, i
lam intemperantia non impediat.

§. VIII.

Quae in Europa ſporadica datur longaeuitas, i
la in aliquibus mundi partibus, pro Hiſtoricoru
relatione, communis et endemia eſt. Praedicatu
prae aliis mundi incolis, *Americanorum*, inprim
Braſilianorum, longaeuitas, quos ante Europaeoru
aduentum ducentos, imo trecentos annos impleuiſſ
narrant: illos autem nunc ex inſecuta communic
ne cum Europaeis, et ex vſu horum victus, ſup
centum tantum annos viuere, non caneſcentes an
aetatem decrepitam: referentibus haec PISONE
MARGGRAFIO in *hiſtoria natur.* Braſiliae, longaeuit
tem huius populi hodiernam credere minus haeſit

mu

mus, inprimis, cum referat PISO, et ipſos Luſitanos, quibus iam paret Braſilia, ibi felicius longaeuitatem acquirere, quam in ipſa patria: dubii tamen ſumus, an ante Europaeorum aduentum tanta indigenis endemia fuerit longaeuitas, quae vltra ducentos annos durauerit, inprimis, cum idem Auctor alleget, Braſilianos conſtanter abhorrere a regimine vitae Europaeorum, ſuis antiquis viuendi modis indulgentes: qua ipſa contradictione fidem ſuam minuit.

§. IX.

Inter Iudaeos, Pythagoricae doctrinae olim addictos, Eſſaeos, longaeuos factos fuiſſe, docent hiſtoriae, quae doctrina, cum ſummam imperaret ſobrietatem, multum ad longaeuitatis ſcopum faciebat. Idem contingere Monachis plurimis, temperantiae deditis, hodierna monaſteria abunde docent, cum, ſi non longaeuitatis multa, tamen grandaeuitatis non pauca, contineant exempla.

§. X.

Inter Chinenſes multos obſeruari longaeuos, conſtans eſt itinerantium relatio; ſimulque, quod prae aliis populis ardentiſſime ſtudeant longaeuitatem ſibi acquirere, idque vel a cultu Idolorum, in hunc finem ſpecialiter fabrefactorum, impetrare ſperent, vel etiam artibus medicis. Poſſedi olim, ex Idolis ad ſenectutem, exemplar, nempe ex cupro fabrefactum ceruum (longaeuitatis ſymbolum) ventre cauum, cui vir decrepitus inſidet; ceruo ſimul ramum quercus annoſae cum glande, ore tenente; cum iam vota pro longaeuitate facere eſt animus, ventris cauitati thura, vel alia odoramenta induntur, et parum ignis ventri cerui ſubditur, tunc fumus odoriferus per foramina quaedam exit, et ſeniculum cu-

preum circumdat. Conceſſus eſt iam huic idolo locus honorificus inter rariora Academiae Nat. curioſorum. Comprobant etiam quodammodo exiſtentiam admodum longaeuorum inter Chinenſes, icunculae ex materia porcellanica, ab illis conflatae, quae vltimam decrepetudinem ſuae gentis artificioſiſſime praefigurant.

§. XI.

Non obliuiſcendi hic ſunt *Calmucci*, Ruſſiae Aſiaticae partim incolae, partim vicini, vitae, vt plurimum valde agreſti ſtudentes: notiſſimum eſt inter illos dari longaeuos, qui vix progredi poſſunt. Habitus corporis illorum eſt robuſtus, quadratus, caput grande, fere vti Chinenſibus, thorax et abdomen ampla, manus pedesque molis mediocris, in quo etiam cum Chinenſibus conueniunt. Victum ſibi parant maxime ex animalibus, raro ex piſcibus, rariſſime ex frugibus: piſcari enim et agrum colere, oneroſum ipſis videtur. Ditiores ex carne camelina, equina, imo ouilla viuunt: pauperes felina, canina, murina delectantur; ſit animal recenter mactatum, ſeu morbo mortuum: ex ſuilla carne cibum non parant illi, qui Mahumedis ſacris, licet perquam ruditer, imbuti ſunt: reliqui in hoc Chinenſium mores ſequuntur, et ex ſuibus etiam cibum capiunt. Salis fere nullus ipſis eſt vſus. Pauperes, cum parce cibis carneis vti ipſis neceſſe eſt, carnes, in fruſta conciſas, ſuper ignem torrent, marſupioque recondunt; de hoc, vbi iter inſtituendum eſt, fruſtum comedunt, poſt pinguedinis animalis crudae portionem, ſi adeſt, intra buccas tenent, donec ſucceſſiue deglutita ſit: qua methodo famem per aliquot dies tolerare dicuntur. Vti pigritia, et locorum

rum, ob paſcua, equis inprimis neceſſaria, mutatio, agros colere non ſinit; ita tamen panem, ex frugibus coctum, adeo valde amant, vt in fluuium proiectum natando proſequantur. Aqua ipſis pro potu eſt: ditiores tamen ſpiritum quendam inebriantem ex lacte camelino, et frugibus terrae ſpontaneis parare ſciunt: in itinere autem, vbi et aqua et caro deficit, camelorum venas pertundunt, et ſanguinem illorum bibunt, tam pro potu, quam pro cibo tardioris concoctionis, et ex hoc famem diutius arcente. Sub hac vel penuria, vel abundantia alimentorum viliſſimorum tamen ſalaciſſimi et maxime foecundi ſunt; animi, de reliquo indolentis, quicquid infortunii ipſis eueniat. Et quid infortunii ſub tali vitae genere accidere poteſt, quod ſponte caret omnibus vitae commodis? ſola certe operoſa captiuitas.

§. XII.

Liceat nobis in terrae noſtrae clima feruidiſſimum, Aethiopiam nempe exſpatiari, et ibi in longaeuitatem inquirere. Qui de huius regionis incolis nobis memorabilia retulerunt, (inter quos HERODOTVS L. III.) narrant, dari inter Aethiopes, quorum alii curtam, alii longam viuant vitam, et victum diuerſum vnice cauſam huius differentiae eſſe: qui enim vnice ex piſcibus alimentum capiunt, Ichtyophagi dicti, et qui ex locuſtis viuunt, Acridophagi vocati, vix 40 annos implere: aliam vero dari gentem Aethiopicam, ob communem longaeuitatem, ad annos 120 durantem, *Macrobium* vocatam, quae Calmuccorum inſtar ex carne et lacte ſolum viuat, et aquam, inſolito leuiſſimam, ex fonte quodam balſamico bibat: robuſti corporis hunc eſſe populum, illumque armis inſolitae magnitudinis vti.

Hanc veram *aquam*, vel *balſamum vitae* nuncupandam eſſe puto, modo infallibilis veritatis ſit hiſtoria.

§. XIII.

Circa hiſtoriam longaeuitatis antediluuianae nolim equidem ſententiae Bernardi LAMY adhaerere, qui in *introductione ad SS.* putat, ſeptuaginta interpretes ideo tantam dediſſe Patriarchis aetatem, vt Iudaei, in Aegypto degentes, Moſis hiſtoriam annalibus Aegyptiorum accommodarent: ſed potius virtuti integrae primorum ſtaminum humani corporis, in ſubiectis, temperantiae et vitae integritati ſtudentibus, id tribuo, quam aëris ſalubritati, et praetento victui ſimplici. Et cum praeterea numerus enormiter longaeuorum parciſſimus ſit, concludere inde licet, paucos mortales antediluuianos longaeuitatem eminentem attigiſſe: facile etiam eſt creditu, cum antediluuianorum tanta fuerit voluptuoſa, et luxurioſa vita, vt extinctio totius fere generis humani, ex poena diuina, ideo ſecuta ſit, pauciſſimos fuiſſe homines, qui ſobrietati, et temperantiae omnigenae ſtuduere, hinc infallibiliter multos per morbos et mortes praematuras obiiſſe. Nec probabile eſt, homines, omni luxuriei generi deditos, a carnibus abſtinuiſſe, et, vt putatur, glandibus, herbisque et frugibus terrae contentos fuiſſe; potius credibile eſt, vi luxuriei etiam victum ſapidum et delicatum ex animalibus ſumſiſſe, inprimis vbi illa regionis ſitus et natura, prae aliis alimentis, abundanter miniſtrabat.

§. XIV.

Supereſt adhuc ſpecialis obſeruatio quorundam, quod illi mares prae aliis longaeui fiant, qui ex tempera-

peramento, et habitu corporis materno ſimilitudinem habent, prae illis, qui habitui patris magis accedunt: quae obſeruatio, ſi pluribus additis corroboretur, cenſendum, matris praualens temperamentum, maſculini ſanguinis craſi iunctum, fortius fieri, quam ſimplex quoddam.

§. XV.

Ordo rei iam requirit, *formam ſenum*, maxime autem *grandaeuorum* et *longaeuorum*, primo *externam*, poſt *internam*, pro intimiore materiae examine, ob oculos ponere, vt ex illo eo melius, tam indicia ſenectutis, quam rationes affectuum et incommodorum hauriamus. Senum primi ſtadii forma, licet a iuuenum et ſeneſcentium forma ſatis diſcrepet, maior tamen in grandaeuis et longaeuis adeſt diſcrepantia.

§. XVI.

Habenda autem eſt in hunc finem ratio *habitus corporis*, quem ſecundum antiquiſſimam diuiſionem, in *ſtrictum* et *laxum*, conſiderabimus. Qui habitu, laxo, molliore et florido praediti ſunt, et mares et feminae, in illis forma corporis externa non adeo grauiter a priſtina recedit, quia abundantia vaſorum ſanguiferorum, cum abundantia floridi ſanguinis, in his ſenii annis, priſtinam formam egregie conſeruat: quibus vero habitus corporis ſtrictus et gracilis, inſuperque, ex penuria ſanguinis pallidus eſt, illis in omni ſenii ſtadio magis fit talis. Facile etiam eſt de hac mutatione rationem dare; cum enim ſenectute ingraueſcente, ob humorum fatiſcentiam, et ex hac omnium organorum corporis imminutam agendi virtutem, ventriculi facultas maxime debilitatur, vt alimentum perfecte nutriens non adeo bene

D 5

ne perficiat, quo in remotam peripheriam, vti antea, nutrimentum aſcendere poſſit, talis mutatio non poteſt non inſequi. Ne dicam de glandularum meſenterii exareſcentia, quae, teſte RVYSCHIO, interdum vix ſeminis ſinapi magnitudinem habent: quae exareſcentia luculenter in feminis grandaeuis habitus ſtricti apparet, quarum mammae adeo extenuatae ſunt, vt vix aliud a priſtina glandularum mole reſtet, quam papilla. De illis autem, quae ſunt habitus laxioris, proſtant apud Autores exempla, illarum glandulas, adeo peruias ſuctu infantum redditas fuiſſe, vt infantes, lacte ſuo, licet ſeroſo, alere potuerint: quid, quod ſenes maſculi infantes lactauerint, teſtibus tot hiſtoricis, in SCHVRIGII Syllepſilogia citatis.

§. XVII.

Equidem non raro obſeruamus, dari ſenes, qui loco habitus ſtricti, gracilisque praecedentis habitum acquirant magis laxum et repletum, i. e. illos melius nutriri, quam antea; hoc autem ſolummodo contingit in illis, qui commodis vitae prae aliis fruuntur, et ſub animi tranquillitate, et motu corporis moderato, victu bene nutriente viuunt: quae fibrarum in ſenio fiens laxitas, licet ſanguinem bono chylo inſtructum in omnes corporis receſſus admittat, vigoris tamen et toni, ex ſenio, lapſum non impedit, id quod praeſens infirmitas, et virium decrementum ſat indicat; nec facile tranſit haec apparens habitus melioratio in multos grandaeuitatis annos.

§. XVIII.

Vt iam huic primo, ſed non communi, phoenomeno mutatae formae externae reliqua addamus communia occurrit in capillis capitis et oris coloris

loris mutatio, ex bruno vel nigro, in gryſeum vel album, canitiem nempe, imo ex ipſo defluuio capillorum in vertice, caluities. Rara eſt cappillorum canorum, in caeſarie et barba tanta in longaeuis conſeruatio, qualem in longaeuo 115 annorum fuisſe, exhibent Ephemerides Nat. C. D. I. A. III. Obſ. 163. et quem videre licuit Norimbergae: cum caeſarie enim formoſa barbam canam, ad quinque vlnae brabanticae quadrantes longam, habuit; vegetus ipſe et incolumis ſenex. Quonam aetatis anno tali caeſarie ornari inceperit, non additur. Non incongrue hic de *Praecanis* mentio facienda eſt; illis nempe, qui inter annum trigeſimum et 40mum caneſcere incipiunt, et communiter grandaeui fiunt: notandum autem de his, quod communiter ſint habitus corporis floridi, laxi: praeterea, capilli illorum nullum inde patiuntur decrementum, ſed denſitate priſtrina gaudent: forſan radices illorum capillorum, ex ſanguine ſal volatile quoddam amicum hauriunt, quod reliquo nutrimento intermixtum, illos mature albescere facit. Hinc etiam eſt, quod non caluefcant; ſine dubio ex firma ſanguinis illorum craſi; nec male forſan dixerim, illam abundare particulis martialibus, vel talibus, quales experimenta cum ſanguine humano facta detexerunt, volatilitatem quandam nactis. Succedit porro mutatio frontis et genarum conuexitatis ſenum in planitiem, imo concauitatem et ſulcos: oculi, ante eminentes, in orbitas recedunt extenuati, vt ipſa orbitarum concauitas conſpiciatur: tunica albuginea ex vaſorum infarctu rubeſcit: maxilla inferior, ante exacte ſuperiori reſpondens, nunc magis adſurgit, et quidem cum praeeminentia labii inferioris et menti:

menti: labia, viuidae antea rubedinis, iam cum facie pallent, niſi quod, in habitus laxi grandaeuis, adhuc ruboris aliquid communiter reſtet: dentes, qui inter labia apparebant, iam deſunt, et maiorem maxillarum proximitatem admittunt: quidam ſenes inferiorem maxillam ſaepe motitant, ob muſculorum debilitatem, vel etiam os apertum tenent, ſimiles a morbis debilitatis, ob muſculorum antagoniſtarum laeſam virtutem: motitant etiam, ad ariditatem oris et linguae, per ſaliuae excretionem, tollendam, hinc videas quosdam linguam exſertam tenere: quin dantur ſenes, quibus, ſub irregulari tali, per muſculorum debilitatem, maſticatione, dentes cum ſtridore ſeſe ferunt. Ipſa facies antea, plus minus oualis, magis reddita eſt curta et contracta: caput, ante erectis inſidens colli vertebris, nunc illis inclinantibus propendet, tremit et nutat, ſub ſomno autem in pectus deſcendit: aſperae arteriae prominentia ex colli vertebris inclinantibus, ex faucium per oſſium capitis facta compreſſione, et reciproco congreſſu, oſſis hyoidei abbreuiatione, etc. magis antrorſum agitur, cui rei velificat integumentorum, quae collum anterius tegunt, macies et gracilis rugoſitas: manus tremunt, cum actionem vel leuiſſimam ſuſcipiunt, exſangues multis et frigidae, manicis, aliisque rebus calidis fouendae, vaſculis ſanguiferis liuidis interdum interſtinctae. Communicat haec frigiditas interdum cum toto corpore, quemadmodum talem in Rege DAVIDE adfuiſſe legimus: apricus enim factus ſenex, abſentibus radiis ſolaribus, adcubitu puellae, gelida reficiebat membra.

§. XIX.

§. XIX.

In corpore denudato, quanta circa thoracem, clauicularum et coſtarum eminentia, et ſub ſterno ſcrobis maior concauitas? abdominis antea conuexi integumenta nunc fere plicas formant: circa inguina, et in pube, in maribus maxime, muſculorum fatiscentia: quanta oſſis ilei et pubis eminentia, cauitatibus cincta? quanta circa genua et metatarſum tendinum tenuitas, ſcrobes multiplices formantium? circa tibiam oſſis prominentis acies? tendinum omnium, vbi oſſibus inſeruntur, extenuatio, minor tamen in ſexu feminino, quia communiter habitu laxiore gaudet.

§. XX.

Contingit etiam ipſarum *actionum mutatio* in ſenio. Dentium vel infirmitas vel abſentia manducationem reddit tardam, quin taedeoſam, nec, quoad cibos ſolidos, non niſi cultri ope facta ſufficiente comminutione ſubleuandam: faucium iſthmus coarctatus bolos minores ſolum deglutiendos poſtulat: muſculorum deglutientium irregularis et praecipitata actio interdum ſuffocationem, ex bolis priſtinae molis, minatur, quando laryngem difficulter tranſeunt: ipſe aëris per fauces tranſitus collaris minus arctam ligationem poſcit: manus vacillantes, cum prehendere quid tentant, cautione prouida opus habent, ad recte prehendendum: pedes, qui ante ſub ingreſſu bene leuati, terram firmiter premebant, iam minus fortiter id agunt, ſed caſum corporis facile admittunt: ideo non ſolum attentius ingrediuntur ſenes, terendo fere humum, dum pedes promouent, ſed et ſcipionis opem requirunt, ne vel ex debilitate propria,

propria, vel venti impulſu proſternantur, et periculoſe cadant.

§. XXI.

Habent certe, cur ſenes de caſu grauiore vereantur, cum in illis periculoſior ſit ob oſſium maiorem fragilitatem, et ſi in caput labantur, cerebri rigidioris concuſſionem violentiorem, quam quae contingit in iunioribus, cerebro molliore gaudentibus. Notatur in *Comment. Acad. Scient. Pariſ.* octogenarium, ſtatim hora dimidia poſt lapſum mortuum fuiſſe, licet non indigitetur, quod in caput ceciderit ſenex, quod tamen valde veriſimile. Sic de Aſclepiade quodam memorant hiſtoriae, illum ad extremam ſenectutem ſanum vixiſſe, lapſu per ſcalam autem vitam finiviſſe: eundem vitae exitum habuiſſe medicum ſenem Berolinenſem, BONTEKOE, docuerunt relationes. Porro inceſſus ſenum antea erectus, nunc incuruatus eſt, tardus, et tarſo pedum magis innitens, quam plantae anteriori: cum in ſellam deſidere cupiunt, id cum prouida mora nunc exequuntur, ne ſubito id agendo, corpus extra aequilibrium, non adeo celeriter, vti antea, reparabile, agant, et in terram ruant: cum autem de ſella poſt moram ſurgunt, quantae in oſſe ſacro moleſtiae ad corpus rurſus erigendum? qui pueri, deſidendo, pedes, ad os reflectere, et illos oſculari poterant, nunc vix genu eosdem imponere valent; niſi LINNAEI Lappones excipias, quorum ſanguis, a ſebaceo ſanguiferorum lacte, *quaſi* ſebaceus, pedes illorum non ſolum ad itinera agillimos, ſed et in ipſa grandaeuitate, talos ſuos collo ſibimet imponere permittit. Conf. quae in Praefat. de agilitate feminarum, et humoribus illarum pinguioribus leguntur. Porro

ſenſus

ſenſus in ſenibus grauem patiuntur mutationem: viſus acies ſaepe imminuitur, nec perſpecillis iuuanda: auditus qui acutus fuerat, fit obtuſus, etc. Quae omnis in deformitatem abeuns corporis, et actionum mutatio interdum tanta eſt, vt infantes, ſenibus adeo mutatis obuii, terrefacti exclament, et illorum adſpectum fugiant, imo ad valetudinis labefactationem vsque terreantur.

§. XXII.

HORATIVS primarias moroſitates ſenum, infantibus etiam infenſas, ſub nomine *incommodorum* ſequentibus indicat verſibus:

Magna ſenem circumueniunt incommoda; vel quod
Quaerit, et inuentis miſer abſtinet, et timet vti:
Vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat:
Dilator, ſpe longus, iners auidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Obſeruantur, ſane, haec communiter in ſenibus, et in incipiente grandaeuitate; in adhuc prouectiore autem aetate, haec incommoda, quae ſub *moroſitatis* titulo veniunt, rurſus deficiunt, ob corporis auctiorem labem, quam tranquillior ſenſuum inactio excipit. Cum enim in ſenio rappeſcat ſanguis, minus elaſticus ita redditus, priſtino caret motu inteſtino; hinc notabiliter deficiens eius ad organa diſtributio, hinc et elater illorum debilitatus: imminuuntur conſequenter in cerebro vegeti illi motus, qui animi alacritatem, hilaritatem et gaudium pariunt: formatur e contrario diſplicentia erga res, quae in praecedente aetate gratae fuere, ob ſatietatem in ante acta vita ex illis captam: inſurgit

git odium erga nouiter inuenta, quibus ſi non timet vti, tamen, ceu non adſueta odit, et auerſatur: dilator fit actionum, quia omnium ſimul membrorum promtitudo ad actiones deficit, et eius loco inagilitas et ſegnities adeſt: ſperat ſemper, ex comparata ſibi experientia circa rerum mutationes, et ad mutationes futurarum ipſi auida eſt circumſpectio: difficilis etiam eſt ex ſuſpicione eiusdem futurae mutationis, cauſarum et circumſtantiarum forte contingentium: querulus de valetudine labente, et temporum mutatione, laudans praegreſſa, ceu meliora viſa: commonefaciens, docens pueros, illosque reprehendens, partim ex authoritate, per aetatem acquiſita, partim ex benignitate, vt viam ingrediantur, felicioribus commodis, fertilem.

§. XXIII.

Diſplicuit certe haec ſenilis moroſitas ſemper iunioribus, inprimis liberam freno vitam amantibus: hinc ex vitio iuuenili, et moribus ſuis incompoſitis indulgentes iuuenes, ſaepe licentiam ſenes vituperandi ſibi ſumſerunt. Specimen huius valde iniurioſum appoſuit *Baco de Verulamio*, in Hiſtoria vitae et mortis, quod de iuuene Gallo ſe accepiſſe innuit, hoc modo: Cutis ſenilis ariditatem, ſignum impudentiae declarat: duritiem viſcerum aequiparat immiſericordiae ſenili: lippitudinem oculorum, inuidiae: corporis incuruationum Atheismi ſymbolum facit, quia ſenes incuruati coelum non amplius reſpiciant: tremores manuum inconſtantiae tribuit: digitorum inflexionem, rapaci auaritiae: genuum labeſcentiam timiditati: rugis ſenilibus callidam obliquitatem, etc. Haec *Verulamius*, cum tanquam iocoſa allegauit, minus decora talia reputans, ſeria,

vt

vt loquitur, quaedam propoſiturus, ſequentia affert: Iuueni adeſt pudor et verecundia, ſeni paululum obduruit: Iuueni benignitas et miſericordia, ſeni occalluit: Iuueni aemulatio laudabilis, ſeni inuidia maligna: Iuueni inclinatio ad religionem et deuotionem, ob feruorem et inexperientiam mali, ſeni deferueſcentia in pietate, ob charitatis teporem et diutinam conuerſationem inter mala, nec non ob credendi difficultatem: Iuueni valde velle, ſeni moderatio: Iuueni leuitas et mobilitas, ſeni grauitas et conſtantia: Iuueni liberalitas et philanthropia, ſeni auaritia, ſibi ſapere et conſulere. Iuueni confidentia, et bene ſperare, ſeni diffidentia, et plurima habere pro ſuſpectis: Iuueni facilitas et obſequium, ſeni moroſitas et faſtidium: Iuueni ſinceritas et animus apertus, ſeni cautio et animus tectus: Iuueni magna appetere, ſeni neceſſaria curare: Iuueni rebus praeſentibus fauere, ſeni anteacta potiora habere: Iuueni ſuperiores reuereri, ſeni cenſura in illos vti, et quae pauca adhuc addit, meo iudicio, etiam minus decora, miſcendo laudandas ſenum proprietates, opprobriis iniuſtiſſimis. Addere liceat hic inficetas illas antiquas appellationes ſenum, quibus SILICERNII, forſan, quia ob tutum ingreſſum, ſilices grandiores cernendo, ſibi eligere ſolent, et *Depontani* appellabantur: poſterius nomen autem ipſis dabatur, quando viribus ſuis multum fidentes, ſe delectui militum immiſcebant, et ſic a iunioribus, militiae deſtinatis, quando hi per pontem, ceu delecti, ſecedere debebant, ex petulanti ludibrio, et coarctato ingreſſu, de ponte trudebantur.

§. XXIV.

Interim *Verulamio*, Polyhiſtori, et Philoſopho magno, indignum eſſe iudico, quod venerandae ſenectuti, cuius ſapientia, et eccleſia, et res ſtatus gubernantur, infamiae notam generalem imprimere iuuerit, hocque modo illam etiam ſibi inuſſerit, et quouerit, hocque modo illam etiam ſibi inuſſerit, et quorundam inſita, et non coërcita vitia, ſenectuti in genere attribuerit; quae, ſi cum aliquibus creuerunt, et conſenuerunt actiua vitia, in illis ſpeciatim ſunt culpanda, quibus inſident, et inhaerent. Horativs ſane modeſtius allegauit defectus illos ſeniles, ſub titulo *incommodorum*; nec illis notam indecentem inuſſit. Florida grandaeuitas, tam ob raritatem, quam, ob morum grauitatem, certe magis arridet oculis, non friuolis, vel animo vituperiis non addicto, quam florida iuuentus. Si facta eſt aliquibus faciei eminens deformitas, illis certe in praegreſſa aetate non adfuit oris venuſtas: quibus autem faciei adfuit formoſa praeſtantia, his grandaeuae aetatis rugae parum detraxerunt;

ſed ſaepius illis
Grata iuuentutis facies internitet annis.

hebenstreit.

Senum multorum adſpectum venerabilem olim reddebat caeſaries, (quem vel ipſa vox inculcat) in illis temporibus, in quibus nimia iuuenilis mollities capillamentorum hodiernorum vſum nondum iuſſerat.

§. XXV.

Obrepens ſenectutem corporis deformitas, et ſenſuum, per aetatem inſontiſſimam, et virtutibus abundantiſſimam, ſuperuenientia vitia ineuitabilia, nos potius ad commiſerationem, quam ad vituperationem

nem excitare deberent. Quid, quod de patria bene merendi ſtudium indefeſſum, ſaepiſſime ſenilis animi facultates frangit, et ex hoc capite, ſi moroſitas, animi lapſus, iudiciique imbecillitas ſequitur, a iuuenibus, et qui reipublicae interſunt reliqui, vt bene meriti magis colendi, et miſeratione venerabunda reſpiciendi erunt. Ecquis enim illos, quibus in virili aetate, et ſub animi vigore, ob res reipublicae bene geſtas, ſtatuae erectae ſunt, ob ſenium vituperiis et infamia afficeret?

§. XXVI.

Interim, rem penitius conſiderando, videtur ineſſe nobis pueris aliquid connati horroris, vti erga mortem, ita etiam erga ſenectutem, mortis prodromum, inprimis, ſi in ſenibus aliquid eximie deforme appareat. Speculum nobis ſunt tales ſenes, in quo praeſentem noſtram venuſtatem et alacritatem, cum rugoſa deformitate et moroſitate, mutatam iri, cum dedignatione cernimus. Rara eſt ſpontanea reuerentia puerorum erga ſenes, communiter ex praeceptis exſurgit, et in multis praeualet ille rithmus germanicus; Neunzig Iahr Kinderſpott, hundert Iahr gnade Gott, i. e. nonagenarius puerorum riſus, centenariorum miſereatur Deus. Recordor exempli in Doctore quodam medicinae Petropolitano, cuius Obſeruatt. medicae, Amſtelodami 1689, impreſſae in Actis Eruditor. Lipſ. recenſentur, qui nonagenarius tanto ludibrio et vexationi puerorum, in plataeis obnoxius erat, vt milite quodam pediſſequo ipſi opus eſſet. Cum regimini rerum medicarum proponerer, narrabatur mihi adeſſe medicum quendam, qui olim trecentis rublonibus officia medica claſſi marinae fecerat, nunc autem illum per multos

 annos,

annos, absque ſtipendio viuere, et ex parciſſima medica praxi vix vitam trahere. Edocebar ſimul adeſſe in ſcriniis Cancellariae leges, ſecundum quas, qui ab officio remouentur, fauentibus cauſis et rationibus, Archiatro liceat tertiam partem ſolarii in remotos ab officio erogare. Cum iam inter ſcripta Cancellariae, nullae rationes, factae eius remotionis, reperirentur, cauſam in ſenium eius reieci, et tertiam partem priſtini ſalarii, quotannis, ipſi numerari feci; quin augere 50 Rublonibus decreueram, illum nouo officio et titulo *medici pauperum* ornans, qui pauperibus, ad pharmacopolium imperiale quotidie conuolantibus, conſuleret, niſi anno 1741 ſtationem meam mutaſſem: ad hoc augmentum autem, leges ſtatutas tranſcendens, ſpeciale mandatum mihi exorandum fuiſſet. Si, quae hic adieci, ſenium non tangunt, ignoſce Lector, lectu tamen non indigna ſunt.

§. XXVII.

Perſpecta ſic forma externa ſenum, et conſideratis, quae ex illa iniuſte nata ſunt, iniurioſis praeiudiciis, progredimur ad illorum *formam internam*, ex cuius ſcrutatione facilius illa, quae ad animi ipſius mutationem contribuerunt, nec non, qua morbis ſenilibus originem dederunt, eruentur. Cumque forma interna ſenum non, niſi in demortuis luſtrari poteſt, praenotandum cenſemus, ſenes plerumque tempore hyemali, et quidem illo ad finem properante, dies ſuos obire. Aequinoctii appropinquationi communiter hoc adſcribitur, et hac quidem ex ratione, quod eo tempore vapores terrae, per hyemis frigus retenti, eleuentur, et naturam grauent: verum, haec ratio valeat quadantenus in regionibus

auſtralibus: in borealibus autem eſt nullius valoris, in quibus, communiter, totum, poſt aequinoctium, menſem, frigus intenſum regnat, et terrae ſuperficiem conſtringendo, nullos vapores adſurgere permittit. Cauſa potius termini vitae ſenilis, durante hyeme, frequentioris in abſentia radiorum ſolarium, atmoſphaeram minus irradiantium, et conſequenter defectu aetheris, ſanguini ſenili parce affluentis, quaerenda venit, quam rationem, tam in regione auſtrali, quam in boreali valere puto.

§. XXVIII.

Vt iam *formam ſenilem internam* ob oculos ponam, opus erit ſectiones cadauerum ſenilium, et quantum poſſibile, grandaeuorum et longaeuorum producere. Erunt, quos adducam, aliquae ex propria inſpectione acquiſitae, pleraeque autem ex Auctoribus collectae. Summam autem ſolum omnium relationum comprehendam, vt prolixitatem euitem.

§. XXIX.

Siſtitur in Transact. Philoſoph. Angl. Anni 1706, et ex his in Actis Erudit. Lipſ. A. 1709, ex KEILII relatione, *ſectio viri longaeui 130 annorum*, ſequentibus: Fuit ſtaturae paruae, et ad vicinas nundinas pedeſtris iuit, paucis vltimis annis exceptis. Corpus habuit valde emaciatum, et carnem adeo duram, vt muſculi externi per cutem transparerent. Viſcera abdominis in legitimo fuerunt ſtatu, paulo tamen pallidiora, omentum exile, ventriculus flatibus diſtentus, eiusque fundus, vbi lieni adhaeret, valde tenuis, membrana autem interior omnibus deſtituta plicis. Hepar pallidum, ſanum tamen: veſicula fellis ampla. Lien vix renem magnitudine aequans. Renes ſani, niſi quod in dextro granulum ſabuli ad-

 eſſet.

eſſet. Inteſtina ſana: meſenterium pinguedine refertum. Cartilagines ſterni iuſtam duritiem habebant: coſtae admodum fragiles. Pulmones pleurae affixi, ſpongioſi, albicantes, nigris autem notati maculis. Thoracis cauitas ampla. Cor magnum, craſſum, pinguedine obſitum: diameter aortae, ante carotidum exitum, duos aequauit pollices, id quod ſector nunquam ante viderat: aorta in abdomine, nec non arteriae iliacae maximam partem cartilaginoſae. In interiore durae matris parte, prope falcem, parua oſſificatio. Cerebrum praeter morem ſolidum et ſiccum, vt vix culter humectaretur: in eius ventriculis ſerum. Membrum virile, genitalia, ſat ampla. Maxima pars ſanguinis, eaque non parua, in arteriis haeſit, cum in aliis cadaueribus in venis reperiatur; tradiderat ſcil. vltima cordis ſyſtole ſanguinem arteriis, hae autem ad venas illum propellere non valebant. Idem phoenom. repertum fuiſſet in vetula, Cap. II. §. LXII. ſi inueſtigatio licita fuiſſet. Viuus pulſum habuit intertum intermittentem. Alui obſtructionem ſaepe ad 10-12 dies. Caecus per multos annos vixerat: auditus vero ipſi ad finem vitae ſaluus extiterat. Per aliquot annos ſolum ex cereuiſia tenui, butyro et ſaccharo vixerat.

§. XXX.

Ponimus porro *ſectionem viri 109 annorum* a SCHEVCHZERO in *Annalibus phyſ. med. Vratislau. Tent. XXIV.* communicatam. Abdomen defuncti aliquid ſeri rubicundi continuit: inteſtina tenuia omnia cum rubore inflammata fuere, e quorum numero duodenum totum putridum et ſphacelatum fuit: omentum conſumtum, vt vix pernoſci potuerit; pancreas contractum: hepar ſaluum: follicu-

lus

lus fellis felle repletus, vti etiam ductus biliarii: omnes circa inteſtina et meſenterium adiacentes partes viridi colore tinctae, licet exitus bilis in duodenum non inueniretur. Prope pylorum expanſio fuit flatulenta, nuce iuglande maior. Renes ſani, vt et lien, cuius ſuperficies eminentiis cartilaginoſis albidis obſita erat. Cartilagines ſterni oſſeae: pulmones coſtis adnati, et maculis viridibus diſtincti. Cor amplum, auriculae valde extenſae, et cum cordis thalamis ſanguine concreto repleti: arteriae magnae valuulae ſemilunares cartilaginoſae. Aorta ipſa deſcendens diametri duplo maior quam gula, circiter pollicis Pariſini. Oeſophagus glandulis lenticularibus obſitus. Cranium valde durum, eiusque ſuturae, inprimis ſagittalis, diſparentes, nec vtramque lamellam penetrantes, indicio ſuccum nutritium debuiſſe inter ſuturas haerere et oſſefieri. Dura mater triplo craſſior ſolito, fere coriacea; pia facillime ſeparabilis: cerebrum lympha abundans, vt et eius ventriculi: ſubſtantia cerebri laterum flaccidior ſolito. Quoad vitae genus huius longaeui narratur, illum, cum annorum 20 eſſet iuuenis, in metalli fodinis fuiſſe terra obrutum per 33 horas, et eductum, cum iam mortuo ſimilis eſſet, ex quo ipſi ani procidentia, et vrinae incontinentia remanſit. Poſt interſuit obſidionibus, et variis expeditionibus bellicis; in ſenio reliquum vitae per eleemoſynas ſuſtentans, et cibos ſic acquiſitos ſemper bono cum appetitu comedens. Ceterum fatuus fuit per aliquot annos, vltimis autem vitae diebus a fatuitate liber.

§. XXXI.

Ex TIMMII *Obſeruat. anatomico-pract.* adduco virum, 94 annorum, qui per octiduum aſthmate laborans

borans obiit, antea autem optima ſemper gauiſus eſt valetudine. Sectio eius praebuit abdominis viſcera omnia ſana. Vaſa ſpermatica, teſtes et veſiculae ſeminales nullatenus aridae, ſed ſimiles illis ſubiectis, quibus aetas adhuc viget. In thorace pulmones coſtis adhaeſere: in cordis dextro ventriculo polypus digitum craſſus, et in ſiniſtro ventriculo etiam parui polypi. Occaſione bonae conſtitutionis generatiuae huius longaeui, adducendus eſt, ille, inter Angliae longaeuos memorabilis Thomas Parr, qui 152 annos vixerat, et vxoratus qui erat, tamen anno centeſimo quinto, adulter factus, ad ſcandalum in eccleſia tollendum, publice peccatum hoc abluere coactus fuit: ſine omni dubio enim hic idem Parr, huic nonagenario, quoad vaſa ſpermatica, teſtes et veſiculas ſeminales totus fuit ſimilis. Forſan etiam ille longaeuus §. XXIX.

§. XXXII.

In Comment. Acad. Sc. Pariſ. et quidem A. 1699. mentio fit viri centenarii, ex cuius inſpectione ſequentia tantum producuntur memorabilia: nempe, quod nouem torſi vertebrae in vnicum os fuerint coalitae, et quod omnes illarum cartilagenes fuerint oſſificatae. Praeter apophyſes transuerſales ordinarias aliae adfuere transuerſales anteriores, in quolibet latere articulationis vertebrae ſitae; quae in dextro latere fuerunt, maiores erant, rotundae, et pulcherrimo nouo, recenter adcreto, oſſe tectae, quae adcretio affuſa apparebat, ceu metallum, inter quamlibet apophyſin, vt tanto facilius coniungeretur. Quae in ſiniſtro fuere latere, breues, ad inſtar mammellarum, ad idem propoſitum nouae oſſificationis iam formatae fuerunt, indicio, Naturam in-

tentam

tentam fuiſſe, hominem reiuueneſcendi, eodem modo, quo in regno vegetabili nouus cortex lignum arboris aridum contegere ſolet.

§. XXXIII.

In memoratis Acad. Pariſ. Comm. A. 1706. ſequens reperitur caſus: Octogenarius moritur, dimidia hora poſt lapſum. Lien ipſi valde exilis, membrana eius autem tota oſſea fuit, liene ipſo, de reliquo, ſano exiſtente: tunicae arteriae ſpleneticae, et arteriae infimi ventris, et extremitatum inferiorum, oſſificatae fuerunt: cartilago laryngis, et annuli cartilaginei tracheae, et pars bronchiorum plenariae oſſeae fuerunt: notandum autem, vaſcula partium ſuperiorum non fuiſſe oſſificata, exceptis coronariis cordis. Cor fuit valde magnum, et arteriae, ex corde exeuntes, ad diametrum 2 pollicum et 5 linearum, in latum compreſſae fuerunt, ſanae de reliquo.

§. XXXIV.

Supra notatus TIMMIVS adhuc ſequentem nobis largitus eſt obſeruationem: Femina 97 annorum fit hydropica; ſanatur taliter qualiter, per purgantia et ſtomachica, moritur tamen hoc aetatis anno: diſſecto abdomine, inteſtina, tenuia dicta, reperiuntur craſſa et magna; et craſſa dicta, apparent tenuia. Arteriae et venae naturalis conſtitutionis fuere. In cauitate thoracis magna ſeri quantitas, et in dextro cordis thalamo polypus, digitum longus, et duos transuerſos digitos latus. In abdomine ſerum nullum. Eidem TIMMIO ſequentem debemus obſeruationem: Femina 70 annorum bono gaudebat appetitu, ad vitae extremum vsque; nihilominus laſſitudine, et maraſmo laborabat, et moriebatur: ab-

domine diſſecto, arteria magna deſcendens, in exitu ex corde ſacculum referebat, 4 transuerſos digitos capientem: interna eius ſuperficies, tam in ſacculo, quam inferius, vsque ad arteriam iliacam, eiusque bifurcationem, et huius bifurcationis ramorum ſuperficies, totae oſſeae erant. Pulmones coſtis non adhaerebant. Cor valde magnum, ſed ſine polypo. Cerebri ventriculi, ſero repleti.

§. XXXV.

Haec eſt conſtitutio et forma longaeuorum et grandaeuorum interna, quam mihi obuii Auctores ſurrogarunt: addam ex meis duas grandaeuorum ſectiones, longaeuos enim diſſecare nunquam datum. Prima obſeruatio facta in viro 76 annorum, mane mortuo reperto, et forſan ſyncope extincto, memorabile hoc praebet, quod cerebrum eius admodum denſae conſtitutionis repertum fuerit, et quod in adducto primo longaeuo non memoratum, compreſſum magis, quaſi in minorem molem, quam in iunioribus: cor ſimul magnum, et aortam valde amplam, ſimulque oſſificatam: pulmones vero ſanos, nec non viſcera abdominis omnia bonae conſtitutionis. Fuerat vir quadratus, non admodum procerus. Idem obſeruare licuit, fere circa omnia in viro 72 annorum, tuſſi per multos annos vexato: hinc pulmones non ſolum pleurae affixi, ſed et eorundem veſicularis ſubſtantia in multos ſacculos diſtenta, et tetra pituita repleta. Glandulae tam meſenterii, quam reliquae obuiae, induratae.

§. XXXVI.

Proferam iam obſeruationes quasdam de *forma ſenum interna, nondum grandaeuorum*, vt appareat, an et qualis interſit differentia, et quidem vnice ex

proba-

probatis Auctoribus, proprias meas non allegando. TIMMIVS rurſus ex ſuis obſeruationibus primum largietur caſum. Vir annorum 66 ſub potu vini in rixas delabitur iniurioſas, mox inde palleſcit, reſpiratio fit difficilis, pulſus intermittens, manus frigidae, labia liuida, et mors inſequitur. Facies, nec non reliquae partes, poſt mortem tumidae. In aperto abdomine, omnia ſat bene conſtituta: pulmones pleurae accreti: in ſiniſtro cordis ventriculo polypus valde magnus, crurum quinque, quorum minimus magni digiti longitudinem referebat; corpus polypi pollicem longum erat, craſſitie terribili, flaui coloris.

§. XXXVII.

Non rarae ſunt de polypis Auctorum relationes, interim hanc inprimis allegaſſe liceat, quia mortem ſubitaneam hic polypus induxit. SCHAARSCHMIDIVS in *Annalibus med anni primi*, ſexagenarium ſiſtit, mortuum repertum, in cuius thorace pericordium valde expanſum et diſtentum inuenit, quod, cum diſſecaretur, coagulato ſanguine fuit repletum, et quidem effuſo, per foramen dextri ventriculi cordis, digiti introitum facile admittens: ſimul in vena caua, vbi cor ingreditur, apertura adfuit, duobus digitis peruia: ſubſtantia cordis iuſto mollior fuit, hinc dubium remanſit, an extenſio vel paulatina eroſio, haec fecerit foramina.

§. XXXVIII.

Supra memorata oſſificatio artiarum occaſionem mihi dedit, ſequentem caſum ex *Annal. med. phyſ. Vratisl. A. 1726, menſ. Decembri* mutuandi, quia haec, ante ſenium, in homine ſeneſcente reperta fuit. Viro annorum 56, ſaltus ex alto modicus, tendinis

Achillis

Achillis rupturam fecit, (vti alii, cui ex ſaltu in altum vterque tendo Achillis ruptus, memorantibus id *Comment. Academiae Sc. Pariſ.*) Secutus eſt rupturam ſphacelus pedis, qui amputationem requiſiuit, quae praeter ſolitum fuit incruenta, ideo pes reciſus examinatus, arterias omnes, ad extremitates digitorum vsque, quoad interiorem tunicam nerueam, oſſificatas praebuit: venis omnibus ſaluis. Anglus fuit natione, nauta. Hinc relator putat, oſſificationem illam arteriarum ex potu Anglico Pontſch, cibisque nauticis, nec non a morbis praegreſſis, viro eueniſſe. Supra recenſiti caſus autem illorum, qui tali vitae genere non vſi ſunt, demonſtrant, in craſi ſanguinis naturali, et in ſenio arteriarum oſſificationem radicari.

§. XXXIX.

Vtile iam duco, primaria in caſibus recenſita momenta formae internae corporis ſenilis, inprimis grandaeui et longaeui, ob oculos ponere, vt inde ediſcatur, quae primario longaeuitatem comitentur, et in quantum illa vitae finem promoueant. Primaria ſunt 1. cordis et arteriae aortae amplitudo. 2. arteriarum deſcendentium oſſificatio. 3. cerebri denſitas, et glandularum durities. 4. pulmonum incolumis ſtatus. 5. lienis cartilaginoſitas, et 6. oſſium nunc arida frangibilitas, nunc vegetatiua virtus: Addo, 7. hepar in plurimis ſaluum.

§. XL.

Vt poſito hoc ordine incedamus, 1. cauſam proximam magnae capacitatis cordis et arteriae aortae, a ſanguine cor diſtendente petimus; cum enim ex virtute muſculorum cordis, ſenſim cum annis remittente, cor non adeo valide ſanguinem per arterias

rias proiicere valeat, neceſſe eſt, vt hauſtus per diaſtolen ſanguis moram nectat, donec per ſyſtolen proiiciatur, qua ipſa mora latera ventriculorum cordis diſtenduntur: moram autem illam ſatis indicat pulſus ſenilis rarior, cuius ſupra mentionem fecimus, dum adeo frequenter non iteratur, quam in praegreſſa aetate; durus ſimul et fortis, oſſificatarum arteriarum rigiditatem, eo ipſo indicans. Grandior praeterea cordis moles, vti ad mouendum ineptior, ita accepto ad motum impulſu ſufficiente, fortior in motu eſt, ſegnior autem eius ad reditum repetitio; quid, quod, qui in ſenibus ſaepe obſeruatur pulſus intermittens, moram plane praeternaturalem, duplo vel triplo maiorem, ſanguinis in corde exiſtere indicet, vt facilis ſit coniectura, cor, quod SCHAARSCHMIDIVS ruptum vidit, forſan naturaliter gracili ventriculo gaudens, ex tali mora rumpere potuiſſe. Praebet mors Regis Hiſpan. per literas publicas, ante paucos annos, nuntiata, nouum exemplum rupturae cordis ſenilis, quod extenſionem ferre non valuit. Haec dilatatio cordis ſenilis ſenibus eſt naturalis: praeternaturalem autem legimus in Comment. Acad. Berol. Anni 1750, quae anguſtatione arteriae aortae deſcendentis originem habuit, et quidem in femina 18 annorum.

§. XLI.

Cum autem, in quantum augetur cordis diſtenſio, in tantum diminuatur virtus elaſtica fibrarum cordis et aortae, neceſſe hinc eſt, vt haec ipſa diminutio virtutis fibrarum cordis ſenſim vitae finem inducat: quo amplior enim in origine erit aortae capacitas, eo imperfectior erit proiectio ſanguinis ad arteriarum extremitates, hinc exareſcentia et con-

tabe-

tabeſcentia ſolidarum partium et organorum, et ex his cordis motus, et ſanguinis circuli, ſucceſſiue inſequens, ſufflaminatio. 2. arteriarum, deſcendentium inprimis, oſſificationem, quod attinet, illa a qualitate vitioſa ſanguinis oritur, vti cordis diſtenta capacitas ab eius quantitate, moram nectente. Certe, quod in maſſa ſanguinea innatum eſt ſalſum primogenium, in infantum, nouiter natorum, ſudore, per guſtum facile percipiendum, ſucceſſu annorum fit muria concentrata et craſſa: ſanguinis craſis ſponte ruit in deſtructionem ſalſam; ſecedunt ex tali ſanguine, qui, pro indiuiduis ſalſedine abundat, particulae ſalinae, lymphae craſſae particulis mixtae, ad proëminentias parietum tunicae arteriarum, quas, vbi fibrae neruearum tunicarum, vna prae altera magis viuax eſt, ſale irritant, et impraegnant, et facta impraegnatione, ad vegetationem aliqualem cogunt: hinc eſt, quod inaequalis reperiatur tunica illa oſſificata, ſub ſquamularum forma; vix alio modo, quam vti in canalibus fontium mineralium metallico-lapideae materiae ad latera illorum fit adpulſio, maxime ibi, vbi inaequalitas quaedam faciliorem adpulſui et adhaeſioni locum praebet. In venis autem, talis oſſificatio locum non habet, licet per moram facilis foret, quia pars ſalium, quae ſuperabundat in maſſa ſanguinea, iam per deſtinata colatoria ſecreta eſt, antequam venas intrat; accedit, quod ipſae venarum tunicae ſint laeuiores. Dilucidauit egregie Ill. de HALLER hanc arteriarum oſſificationes, poſtquam obſeruauerat, partes illas duras oſſeas, liquorem quendam luteum in membranam celluloſam, fibris muſculoſis, et tunicae interiori intertextam, effluentem continere; hinc declarat,

rat, tales oſſeſcentias, et tubercula indurata, ab hoc liquore effuſo generari; praeterea ſenilium arteriarum duritiem magis, a fluidorum defectu, quam a ſolidorum rigore eſſe petendam, huiusque mutationis in fluidis cauſam eo redire, quod vel ſanguis ſenum plus terrae contineat, vel cordis vis debilior fiat, relinquanturque hae terreſtres particulae mollibus et cedentibus particulis appoſitae, quas velocior ſanguinis fluxus ſecum rapuit.

§. XLII.

Meretur autem adhuc notari, 1. quod oſſificatio perfecta iam obſeruata ſit in viro 56 annorum, quem ſupra in ſcenam produximus: conſentimus hinc referentis opinioni, quod in hoc ſubiecto, homine, vt ſimul refertur, bilioſo, i. e. ſanguine craſſiore, terreſtri praedito, et cibis ſalinis, potuque ſpirituoſo abutente, praecocitas haec contigerit; quemadmodum caſus extant, ex diſpoſitione morboſa iam infra hanc aetatem talia contigiſſe. 2. Quod femina 97 annorum, cuius etiam mentionem fecimus, non habuerit arterias oſſificatas: ſuſpicio hinc nobis naſcitur ſerum hydropicum, quod in morbo eius abundauit, ſalſam materiam ſanguinis omnem imbibiſſe, et ſic tunicas arteriarum ab eius accretione liberas reddidiſſe. Nec improbabile eſt, dari craſes maſſae ſanguineae a copia nimia ſalium liberas, in quibus etiam arteriarum oſſificatio facilem locum non inueniat. Admittenda praeterea eſt illa probabilitas, variare tunicas arteriarum in laeuitate, et aſperitate, et, pro re nata germinationem illam oſſificationis admittere: hinc forſan eſt, quod rarius arteriae aſcendentes reperiantur incruſtatae, dum purior ad capitis organa aduehitur ſanguis. Interim exemplum ſingu-

ſingulare huius raritatis legitur in Annal. med. phyſ. Vratisl. A. 1725. Menſ. Iun. Cl. IV. ſecundum quod, carotides et vertebrales arteriae cum ſuis ſubtiliſſimis ramificationibus, oſſeae et induratae percurrerint piam matrem vetulae 68 annorum. Magis propria itaque eſt cordis ſenilis diſtenſio et amplitudo, quam arteriarum oſſificatio: illa enim ob rationes allatas non poteſt non eſſe, haec autem ex diuerſitate ſanguinis abeſſe poteſt.

§. XLIII.

Notandum interim, quod in arteriis talibus interne incruſtatis appellamus oſſificatum, magna ex parte nuncupari poſſit petrificatum, ex illa ipſa materia lymphatico-ſalina, quae calculos renales et veſicales producit, ſat duros, et petroſos interdum: et hinc talis nuncupata oſſificatio euenire poteſt in iunioribus ex morboſa conſtitutione, quae in ſenibus ſucceſſiue oritur ex declinatione aetatis in cacochymiam ſalinam. Sic allegatur in Ephem. Nat. Cur. D. I. Anni I. Obſ. 70. caſus pueri, ex febre phthiſica mortui, in cuius arteriis arenaria materia fuit inuenta, et cuius cor etiam fuit ſtupendae magnitudinis. Talem arenoſam materiam, ante paucos annos inuentam fuiſſe noui, in viro 76 annorum, in eiusdem aorta, vbi cor egreditur, ſed de ipſius oſſificatione nulla fiebat mentio, forſan ex minus attenta ſectione. Conſentientem mecum circa materiam oſſificatam, quod conſtet magis ex concreto lapideo-calloſo, quam oſſeo, in venio Obſeruat. 127. A. I. D. I. Ephem. Nat. Cur.

§. XLIV.

Vti haec ſenii producta circa fontem vitae hydraulicum conſideratione digna ſunt, ita admirationem

nem meretur, 3. cerebri ſenilis conſtitutio. Quis crederet, cerebrum, quod in infantia adeo humidum et pulpoſum eſt, vt vix cohaereat, ad tantam duritiem, et ſiccitatem peruenire poſſe, vt pro lubitu in partes diſtinctas ſecari poſſit, cultro inde non madefacto, vti in longaeuo 130 annorum legimus. In tantam ſiccitatem non induruerat cerebrum grandaeui, de quo ego mentionem feci: intererat autem inter haec ſubiecta ſpatium 50 annorum. Mirandum inſuper, cerebrum, viſcerum omnium nobiliſſimum, et ratione ſtructurae artificioſiſſimum, in talem ſtatum potuiſſe reduci, absque officii labe, cum de illa nulla facta eſt mentio, quemadmodum de proxime, poſt hunc, allegato longaeuo 109 annorum illa memoratur, quod nempe per aliquot annos pueriliter fatuus vixerit, exceptis vltimis vitae diebus: inuenimus autem ſimul rationem adnotatam, nempe, quod cerebrum fuerit iuſto mollius, et praeterea ventriculos eius ſero repletos: hocque ſine dubio ex malo vitae regimine. Quod autem vltimis vitae diebus fatuitas ceſſauerit, exinde factum eſſe iudico, quod aeſtus auctior febrilis inflammatorius humiditatem in quibusdam cerebri partibus, quae imaginationi ordinatae inſeruiunt, temperauerit; non aliter, quam multi aegrotorum delirantium, vltimis vitae diebus, ad imaginationis rectum ordinem loquuntur. Eſt itaque ſiccum durumque cerebrum ſenile bonae mentis domicilium, ex quo etiam facile emigrat, vbi concuſſione fores ruditer pulſantur, vti ſupra legimus de illis, qui ex lapſu perpeſſo ſubito obierunt: fibrae enim non amplius molles, ſed duriuſculae, et inflexiles, in ſe inuicem, et in cranii parietes, licet meningibus tectae, colli-

ſae, friabilitatem fere inde patiuntur, organum totum deſtruentem.

§. XLV.

Magna eſt inter Anatomicos de *ſubſtantia cerebri* diſputatio: *vaſculoſam* eſſe vtramque, medullarem et corticalem plurimi credunt: ſed ſi daretur ſagaci alicui Anatomico liberior et otioſior indagatio in cerebrum talis longaeui, certe deciſionis non foret magna opera. Quanta eſt illorum deſudatio in farciendis cera cerebris, vt mollem eorum texturam audaciter, et absque laeſione prehendere poſſint! Natura hominis longaeui, multorum annorum labore hoc praeſtitit in homine viuo, illaeſo nobiliſſimo rationis officio. Effectus hic eſt intimae penetrationis portionis ſubtiliſſimae oleoſo-ſalinae ſanguinis in cerebri fibrillas conſtitutiuas. Indurantur ſic canaliculi ſubtiliſſimi, et coarctantur, ita tamen, vt tranſeat vapor ſubtiliſſimus, pro ſuſtinendo officio ſenſuum, tam internorum, quam externorum. Indurantur eodem modo glandulae corporis reliquae, et coarctantur ita canaliculi colatorii, vt ſanguinis portio depuranda, vel ſecernenda non adeo copioſe et ſufficienter illos intrare poſſit, quae impeditio non ſolum defectus nutritionis, ſed et morborum ſenilium primaria eſt cauſa. De cerebris petraefactis, repertis apud Auctores, fit mentio: ſane, conſtitutio indurata cerebri longaeuorum applaudit iſtis relationibus, et grandaeuorum, ſi non longaeuorum fuiſſe cerebra innuit, quae cum tempore plane petraefacta fuere. Equidem dum reuoluo dubius (quantum poſſibile enim vera proferre decet.) Naturae Myſtarum Ephemerides, in D. I. A. I. de bouino cerebro ſolum ſermo eſt; bouem autem longaeuum

fuiſſe

fuiſſe quis aſſerere poterit. Interim in longaeui humani cerebro contingere poſſe petraefactionem, ex tali diſpoſitione, creditu facile eſt. In glandula pineali ſaepe materiam calcaream inuentam fuiſſe notum eſt; eadem talis materia ſubtilior ſyſtemati cerebri ſe inſinuare poteſt. Conf. D. I. A. I. Obſ. 27. Ephem. Nat. Cur. nec non earundem Vol. III. Obſ. III.

§. XLVI.

Quartum momentum, in longaeuis reperibile, eſt *pulmonum incolumis ſtatus*, a ſtatu naturali minimum recedens, licet in memorata ſectione octogenarii, caſu interemti, appareat, arteriam aſperam et bronchia in grandaeuis iam oſſificari: vigebit hoc non obſtante commodus tranſitus ſanguinis per pulmones, (modo non ſint lacerati, vel muci decubitu oppreſſi) qui ad longaeuitatem maxime eſt neceſſarius: reſpirationis enim negotium, quantae ſit neceſſitatis, tam ad circulum ſanguinis bene promouendum, quam ad ipſius ſanguinis ex aëre nutritionem, quis neſcit? Quae autem in longaeuis obſeruatur leuis per filamenta pulmonum ad pleuram adhaeſio, nullius eſt momenti, quia liberam reſpirationem non impedit: vbi vero multa ſuperficies pulmonum pleurae firmiter adhaeret, ibi ſub tali adhaeſione multum morboſi ſubeſt, vti res docet.

§. XLVII.

Quintum formae internae primarium phoenomenon eſt *membranae lienis cartilaginoſitas*. Qui abſentiae lienis poſſibilitatem citra ſanitatis iacturam probant, dum animalibus lienem exſcindunt, eaque poſtea adhuc viuere vident, certe de longaeuitate non cogitarunt: nec de illaeſa ſanitate, poſt exſe-

ctum lienem, a canibus, qui de illa documentum eſſe debuerunt, data eſt relatio. Indignum ſane artificioſiſſima aeterna ſapientia patratur opus, dum viſcus in oeconomia animali ſuperfluum putatum reſecatur, et quod illa perfectum fecit corpus, reſectione reformatur. Manu vtraque, crure vtroque, teſtibus amputatis hominem viuere poſſe, quis non vidit? ſed quam imperfectiſſime, nec ad ſenectutem longaeuam. Symbolum itaque ſuum ſonticum confert lien, tam ad ſanitatem perfectam, quam ad vitam longam. Viſcus eſt ſanguine abundantiſſimum. Membranam eius cartilaginoſo-oſſeam poſſe fieri absque ſanitatis detrimento, in ſenibus, vidimus, et nihilominus officio vacare ſuo auxiliari, vel depuratorio, vel conſeruatorio ſanguinis, qui ex aetate imminuitur.

§. XLVIII.

Sextum notabile momentum formae internae ſenilis eſt *oſſium aridura et frangibilitas*, interdum tamen redeuns *vegetatio*. Aridura oſſium, et cum illa extenuatio molis illorum, in omnibus reperitur ſenibus, eaque eo maior, quo prouectior ſenectus; nam, cum partes flexiles ſucculentae, muſculi, tendines, cartilagines nutrimento deficiant, et extenuentur, quidni durae corporis partes, oſſa, quibus nutriendis craſſior pars ſanguinis deſtinata erat, et cui nunc minus peruia ſunt colatoria? Edocent praeterea illorum frangibilitatem caſus ſenum, quibus oſſa facilius franguntur, quam iunioribus: facilius autem ſimul fracturae illorum callo reparantur (exceptis communiter grandaeuis et longaeuis) quam iuniorum; nam, licet in his vegetior ſit natura, et abundantior lympha pro condendo callo, tamen ma-

teriae

teriae actiuitas ad putredinem maior, quae eſt in iunioribus, febribus, inflammationibus, aliiſque grauibus inſultibus admodum fauens, conſolidationem retardat. Interim, vt in malis contingentibus gradus dantur, minus periculoſi cenſendi ſunt caſus ſenum, qui artuum fracturas inducunt, quam qui ſaluis oſſibus, capitis grauem percuſſionem coniunctam habuere, de cuius funeſto effectu ſupra diximus.

§. XLIX.

Quod attinet *nouam in ſenio oſſium vegetationem*, illam plane ſingularem nobis monſtrauit ſectio tertia longaeui centenarii, quod nempe in lateribus vertebrarum dorſi noua, et pulcherrima oſſis accretio inuenta fuerit, qualem forſan in pluribus longaeuis inueniri daretur, ſi ad haec loca animus et ſcalpellum dirigeretur. Quemadmodum ſubtractionem alimenti, ligamentis vertebrarum debiti, illarum inclinatio introrſum, verſus abdomen ſequitur, et aliquando tanta, vt impoſſibile aliquibus ſit faciem in altum vergere; eadem inclinatio non ſolum cartilagines vertebrarum, altera alteram terere propius, et ſic affrictione, vti in eodem caſu notatum, coaleſcere facit; ſed et eadem affrictione fit, vt in qua parte cartilaginis oſſeſcentis particula vegetatiua abundat, eadem facili vegetatione luxuriet, et nouum os producat, vix aliter, quam caro luxurians in vulneribus. Notatam illam vertebrarum ſpinae dorſi inclinationem non rigiditati vertebrarum, ſed potius flacciditati ligamentorum ſenilium accenſendam eſſe diſcimus ex obſeruatione, quam *Annal. phyſ. med. Vratisl. A. 1726. menſe Febr.* notis de hortulano quodam tradunt, qui cum in vita

F 3 ſummo-

ſummopere eſſet incuruatus, mortuus rectilineus factus eſt. Conf. Cap. III. §.

§. L.

Vti de tali noua oſſeſcentia paucae proſtant hiſtoriae, de *regeneratione dentium in ſenio* eo plures reperiuntur. Oſſium praemonita luxuriatio interim non adeo ſtupenda eſt, quoniam ſolus impulſus materiae vegetatiuae per calorem ad illam ſufficit; dentium vero in ſenibus regeneratio maiorem poſcit admirationem, quia ſtaminum latentium et obliteratorum vegetationem producit. Docent autem hoc hiſtoriae medicae permultae, inter quas memorabiliſſima eſt illa valvassoris, in deſcriptione Carniolae ſuae: memorat nempe, inter incolas eius regionis, Vsgoki dictos, quos communiter longaeuos fieri recenſet, Turcam quendam 190 annos impleuiſſe, et ipſi, paulo ante obitum, dentes renatos fuiſſe. Credibile interim eſt, illos imperfectos renaſci, et, vti addunt Hiſtorici, mox rurſus cadere. Interim menzelivs, in Ephemeridibus N. C. narrat Berolini fuiſſe Germanum, Cliuis natum 120 annorum, cui per regenerationem niuei dentes contigerant, non meminit, per quot, nec paucos, annos durantes. Idemque contigiſſe Anglo cuidam eiusdem aetatis. Vide Ephem. D. II. A. III. Obſ. 15.

§. LI.

Septimum memorabile, in longaeuis obſeruatum, fuit *Hepar ſaluum*, quod ab aliquibus diſertis verbis refertur, ab aliis autem ſub relatione, quod omnia abdominis viſcera fuerint ſalua, implicite declaratur. Quantum ſit hepatis officium tam ad ſanguinem a bilioſis particulis depurandum, quam ad ſuperfluum per venas, ad venam cauam reducendum, omnibus

notum

notum eſt. Non potuit itaque non, concurrentibus reliquis oeconomiae corporis commodis, ab hepate, officio ſuo conſtanter reſpondente, ſymbolum ſonticum ad longaeuitatem prouenire.

§. LII.

Examinauimus ita momenta et phoenomena, in ſenibus grandaeuis et longaeuis reperibilia, quantum a ſtatu naturali receſſerint, ſimul tamen vitam longam, licet minus commodam, et a praegreſſa aetate multo diſſimilem, permiſerint.

§. LIII.

Quemadmodum autem partium ſolidarum mutatam formam internam perluſtrauimus, ita nunc opus eſt, de mutatione, quae maſſae humorum ſenili contingit, aliquid monere, cum illam a maſſa humorum, quae in iunioribus eſt, multum differre neceſſe ſit, quia humores corporis mutati primario mutationem partium ſolidarum inducunt. Qui venaeſectionibus educitur *ſanguis*, florido colore ſat abundat; et ſimilis eſt illi adoleſcentum; craſi autem magnopere diſſimilis eſt, quia, qui eſt floridus color in adoleſcentum ſanguine, ab abundantia optimae lymphae rarefactae et ſpumeſcentis oritur; cum ille qui eſt in ſenili ſanguine, a ſeri copia, lympham vappidam paucamque multum ſuperante, oriatur; hinc eſt, quod, cum grandaeui ſibi ſcalpello, forte, cutem lacerant, ſanguinem ſeroſum et pallidum e vulnuſculo exſtillare videas. Interim, hoc non obſtante, ſanguis ſenum ſimul vnguinoſus magis eſt, quam iuniorum, teſte ſudore ſenili, maxime ex pinguedinis et bilis, nunc minus, quam antea, fiente ex illo ſecretione. Sale etiam volatili porro ſanguinem ſenilem abundare, non ſolum a priori, ex craſi

ſpiſſiore ſanguinis iudicare licet, ſed et ex experimentis, chymica arte cum ſanguine arthriticorum inſtitutis, aperte patet; nam licet non omnes ſenes fiant arthritici, et calculoſi, tamen ſanguinis craſin in pleriſque ſenibus conuenire, quis negabit? Praeterea elaſticus non adeo eſt ſanguis ſenilis, quam iuuenilis, quippe craſis eius, longo attritu ſui ipſius, fracta vappeſcit, eoquo ipſo aetheri, per reſpirationem hauſto, vix ſui inſinuationem permittit, ex quo etiam eſt, quod ſolidarum partium, et fibrarum elaſticitatem ſuſtinere non valeat. Interim non negandum, ſanguinem ſenum bene valentium aeque feliciter conſolidationi vulnerum velificare, idque mitiore cum ſuppuratione, quam in iunioribus.

§. LIV.

Addendum adhuc momentum quoddam corporis ſenilis, inprimis macrioris, ſeu habitus ſtricti, proprietatem ſingularem, minus attentam, praebens, nempe *Leuitas*. Certe illa tanto magis eſt conſideranda, quod neglecta eius conſideratio peſſimorum praeiudiciorum fuit cauſa et anſa. Exitioſiſſima illa inprimis fuit vetulis, in quas, prae maribus (cauſa huius praeferentiae incognita) veneficii ſuſpicio ceciderat. Notum eſt ex hiſtoriis, impoſitas fuiſſe tales aquae, et cum obſeruaretur, illas mox fundum non petiiſſe, ſed ſuper aquas notaſſe, ſagas illas, et veneficii reas, iudicatas fuiſſe, quaſi id ope diaboli praeſtiterint, ideoque igni traditas, quia pro iudicum opinione aqua interimi non potuerint: quaſi diabolo tantae non fuerint vires in coërcendis flammis, quam in ſuffulciendis vndis. Euiluit, per Dei gratiam, in Europa ad minimum, haec caecitas; interim caſum recenſebo lepidum, hanc rem dilucidantem,

dantem, natatum nempe corporis ſenilis, viri, cui diabolus inſtinctum dederat, ſe per vndas necandi, nec pro aſſequendo fine adſtiterat: ducebatur aliquando fur ſenex per pontem, incumbentem fluuio ſat largo, et mediocriter rapido; cum in medio pontis eſſet, ex metu poenae ſe influuium praecipitat, margines pontis enim ſepimento non erant muniti; vix dimidium corporis in fluuium penetrauerat, cum ſuper vndas caput hominis rurſus appareret; rapit tunc, et prouehit illum fluuius ſua ſuperficie; hoc cum nautae nauis Hollandicae, in naui ſua, non procul diſtante, viderent, et hominem contra ſuam voluntatem Tritonem agere putarent, ſubito in cymbam deſcendunt, et remigiorum multiplicatis ictibus, ad illum ſaluandum properant; quod cum nequam videret, caput vndis ſubmergit, et fundum petere, fruſtra tamen, ſtudet; mox enim nautae appropinquant, et arreptum in cymbam trahunt, ſtupentes, quod loco gratiarum, vituperia a ſaluato darentur. Alius, hic aliquando, contigit fere ſimilis caſus, de difficili ſubmerſione corporis, ex morbo leuioris facti: miles ex morbo conualeſcens, vitae generis pertaeſus, dicto adſtantibus commilitonibus vale, in eundem ſe proiicit fluuium, vix totus ſubmerſus redit ad auras, et cum commilitones ipſi funem proiicerent arripiendum, reſpuit auxilium, potius vehendo ſuper vndas ad ſpatium ſat diſtans, aquas haurit, et deglutit, hocque modo pondus ſuum augendo, ſubmergitur.

§. LV.

Cauſae huius leuitatis corporis ſenilis facile patent: oſſa arida, quorum ſtructura poroſa et cauernoſa, nunc tota ſimul exſucca, et aere vaporoſo ſo-

lum repleta eſt, pulmonesque ſpongioſi, mole minoris, eoque ipſo cauitatem thoracis magis vacuam reddentes, huius phoenomeni primariae ſunt cauſae: taceo, aortae capacitatem maiorem, a ſanguine, neque illo in ſenibus copioſo, per momenta vacuam, et ventriculi et inteſtinorum in ſenibus extenuatorum, et flatibus repletorum, diſtenſionem. Mentionem obiter, in praefatione, feci opinionis Aegyptiorum, quod primus homo ex ligno factus fuerit: certe, ſi quid huius erroris origo eſſe potuit, ex hac ſenum ſuper vndas natatione, condita eſt. An autem Lappones et Dani antiqui ideo ſe in aquas praecipitauerint, vt diu ſupernatantes, iniurias aquarum et aëris perferant, non auſim adſtruere, cum vitae finem, ob eius incommoda non amplius ferenda, per ſubmerſionem petere animus fuit.

§. LVI.

Haec de phoenomenis quoad formam externam, et internam ſenum ſufficiant. Conſiderabimus nunc paulo amplius *mutationes actionum*, tam *vitalium*, quam *ſenſualium* in ſenibus, et quidem quatenus ſolummodo differunt ab aetate praegreſſa, ex labentibus annis, non quatenus ita deprauatae ſunt, vt morbi titulum mereantur, de qua deprauatione poſtea ſpeciali capite agemus.

§. LVII.

Prodeat itaque *reſpiratio ſenum* in ſcenam. Organon reſpirationis ſunt pulmones, quorum actionem, aërem nempe inſpirare, et exſpirare, muſculi thoracis facilitant. Hanc reſpirationem in ſenibus citatiorem ſub motu corporis eſſe obſeruamus, idque non ſolum ex bronchiorum nata rigiditate, et minore flexibilitate, ſed etiam ex muſculorum thoracis

racis per ſenectutem imminutis viribus. Cum enim ex ſanguine vappido flaccidiores facti ſunt, tendines illorum, ob defectum nutrimenti, ex ſanguine minus elaſtico natum, rigidiores facti, officium non implent: ipſae coſtae actioni muſculorum renituntur, nec non ſterni cartilagines, quae duriores, et *communiter* magis inflexiles factae, priſtinam thoracis dilationem impediunt.

§. LVIII.

Qui peragitur ſub reſpirationis actu *motus cordis*, arteriarum pulſu ſe manifeſtans, quantum ille differt a pulſu iuuenum, ne dicam infantum! quae enim ante adfuit ictuum cum blanda mollitie, et celeritas, et frequens repetitio, in talem tranſiit mutationem, quod celeritas ictus nunc fiat cum vi maiore, tardius tamen, i. e. cum mora; frequentia vero nunc rarior ſit, i. e. pulſus pulſum non adeo preſſe ſequatur. Cauſalitas huius mutationis ex data conſtitutione cordis et arteriarum ſenum facile eruitur: quod enim de muſculorum omnium ſenilium ad actiones acquiſita ineptitudine valet, id etiam de corde, muſculorum rege; nam nec huius fibrae a flacciditate immunes manſerunt. Taceo impedimentum ex arteriae magnae rigiditate. Dictam cordis flacciditatem non ſolum autopſia facile monſtrat, ſed et ex eius indulgentia ad memoratas enormes dilatationes iudicari poteſt; arteriae magnae autem rigiditatem allegata eius oſſificatio docuit. Sub his circumſtantiis flaccidi cordis muſculi longiore mora ad ſyſtolen vti neceſſe habent, vnde ictus tarditas; oſſificata autem aorta ictu duro proiiciet ſanguinem per conum ſuum, vnde pulſus durities; abſentia vero priſtinae frequentiae pulſuum inde eſt, quod,

quod flaccidiores cordis muſculi ad diaſtolen agendam ſe tardius accingant, qua mora pulſus minus frequenter repeti poſſunt. Ne dicam de pulſu cordis intermittente, ſenibus familiari, ex remora cordis praeternaturali, circa diaſtolen haerente, per ſe tamen grandaeuitatem non recuſante.

§. LIX.

Subiungimus actibus vitalibus, nunc alios oeçonomiae animalis, per quos ipſi actus vitales reliquique ſuſtinentur, nempe *appetitum* ad cibum et potum, et quae ex victu, ſecundum naturam, ſequitur, *nutritionem*, et tandem, quae haec omnia neceſſario inſequi debent, *excretiones* reliquiarum inutilium.

§. LX.

Adpetitum ad cibos in ſenibus multis langueſcere obſeruamus, exceptis illis, quibus longaeuitatis fundamenta non parca in ipſo ventriculo poſuit natura. Certe ventriculi incolumitas, i. e. liquoris gaſtrici per tunicas ventriculi robuſtas perennis ſecretio, punctum abſoluit primarium, non ſolum ad bonam digeſtionem ciborum, ſed et ad inde capiendam nutritionem, et ſimul ad illam ſuſtentandam, quo modice in ſenio recedat, nec ſimul et ſemel macies et atrophia ſenem corripiat. Hinc videas ſaepe grandaeuos, qui in antecedente aetate liquore gaſtrico bonae conditionis gauiſi ſunt, etiam in hac aetate illo gaudere, et inde ad edacitatem pronos eſſe; non ſemper tamen absque inſequente incommodo; non reſpondet enim amplius priſtina fibrarum ventriculi fortitudo a cori liquoris ventriculi perduranti. Per ventriculi bona officia reliquis viſceribus et membris

omni-

omnibus, ad functiones ſuas recte praeſtandas vires diſtribuuntur, quas, ſi ſub ventriculi bona conſtitutione non peragunt, ſed morbida fiunt, ex propria et domeſtica, in fibrarum teneritate, vel alio defectu quaerenda labe, aegrotant. Quando autem ventriculus cum inteſtinis aetate debilitatur, ſanguine nempe ſucceſſiue fatiſcente, et tunicis ventriculi flaccidis redditis, vt ex his liquoris gaſtrici ſecretio impediatur, tunc primo inteſtina, et mox illis annexa abdominis viſcera aegrotare incipiunt, et machinae reliqua fundamenta corruunt, licet, ventriculo ſaluo, longaeuitatem promiſerint; id quod in vtroque longaeuo, illo nempe annorum 130 et altero 109 annorum vidimus; cum enim reliqua viſcera omnia ſalua conſtarent, fibris licet per aetatem exiſtentibus flaccidioribus, ventriculus alterius per flacciditatem, vel liquoris gaſtrici inertiam defecerat, et in altero duodenum reliquis inteſtinis grauem labem contraxerat. Minus communiter deficit adpetitus ad potum in ſenibus, quam ille ad cibos, cuius eximium exemplum vidi in longaeua quadam 95 annorum, quae cum careret omni appetitu ad cibos, praeter illo ad panem, potu viginti librarum cereuiſiae tenuis, per diem, ſe per vltimos vitae annos ſuſtentauit, ſanguinis nempe defectum reſarciendo, et eius circulum continuando.

§. LXI.

Senum ſupra deſcripta forma externa *nutritionem* in illis deficere docuit. Male nutriuntur et marceſcunt ſenes, vel ex ventriculi laeſo officio, vel ex ſanguinis nimia ſalina vappeſcentia, et inde nata viſcerum abdominis, et glandularum conſtitutione difficulter peruia, vel ex habitu corporis iam ante ſe-

niun

nium ad maciem vergente. Quomodo ventriculi laeſum, vel imperfecte praeſtitum officium nutritionem impedire poſſit, iam vidimus: quomodo autem ſanguinis ſalina vappeſcentia maciem admittat, facile adparet; cum notum ſit, ad bonam nutritionem chylum dulcem et lympham roſcidam requiri. Deficiunt autem communiter hae qualitates chyli et lymphae in ſenio, quando ex ſanguine per aetatem et attritum fatiſcente, liquor gaſtricus adeo perfecte ſecerni et elaborari nequit, hinc ipſa, quae ineſt ſanguini, naturaliter, craſis ſalina, aequilibrium ſuperat, et dominans ſit, et omne pingue dulceque nutribile corrodit, et ad loca excretoria ſecum rapit, quidni inde fibrarum marceſcentia? imo dum ſenes ad ventriculi ſegnitiem leuandam ſaepiſſime cibos ſalitos appetunt, et ſic, vbi ipſa ſanguinis craſis eximie ſalina eſt, malum malo augent, non poteſt non ſub hac ſanguinis craſi crudiore, in ipſis glandulis meſenterii, per quas colatur lympha, nutritioni impedimentum formari: excipias autem hic illos, qui a iuuentute iam tali ſanguinis craſi donati ſunt, quae diaetam talem ſalſam ſibi naturalem fecit, vt illa, ad minimum in grandaeuitatis plurimos annos feliciter vſi ſint, nec eius mutationem bene tulerint. Vbi autem ipſe habitus corporis ad maciem per ſe iam ante inclinat, quid mirum, ſi haec omnia ad marcorem corporis facile colludant.

§. LXII.

Interim, quemadmodum macies fere proprium eſt ſenum, ita tamen dantur interdum ſenes, in quibus nutritio, ad minimum in primo ſenii ſtadio, augetur, (nam in grandaeuis et longaeuis ſemper illam in ſuperficie corporis minui obſeruamus) id quod maxime

maxime craſi ſanguinis, a bonitate ſua non recedente, debent: largitur, enim bonus ſanguis adhuc bonum liquorem gaſtricum ad ventriculi organa colatoria, et recipit inde poſt bonam digeſtionem ciborum bonam lympham, ex qua humores debitos, et pinguedinem, circulationis ope, paſtibus deſtinatis tradit: augetur autem ſimul ideo in illis nutritio, quia fibrae peripheriae corporis, nec non vaſorum extremitates, in aliquibus, cum annis minus tenſae redduntur, vnde quaſi collapſus illarum, et maior capacitas, qua mediante ſanguinis particulae pingues magis in ſuperficie morantur, et adhaereſcunt. Allegandus hic eſt ſenex *Ephem. N. Cur. Dec. II. A. V. App. p. 66.* qui infantem mammis ſuis ſaepe admouendo, glandulas ſuas mammarias lactiferas fecit, ἐυσαρκος autem fuiſſe dicitur, i. e. bene nutritus: id quod magis rem praeternaturalem eſſe cenſeo, quam lactationem infantis recens nati, a vetula octogenaria, vltra dimidium annum, cum infantis bono nutrimento, factam, cuius mentionem faciunt *Acta Liter. Suec. 1733.* Redundat ex eadem cauſa etiam pinguedo ad viſcera interna, ibique diutius conſeruatur, vt in aliquibus ad ſeram longaeuitatem perſtet, quemadmodum ſectio longaeui 130 annorum id nos docuit, cuius cor pinguedine fuit obſitum, et cuius meſenterium pinguedine fuit refertum. Conf. §. XVI.

§. LXII. *

Bene notandum autem hic ſimul, vti haec nutritio ad fouendum habitum corporis facit, illam tamen ad robur corporis augendum, vel ſuſtentandum, parum vel nihil facere: quae enim carere incipit in ſanguine ſeneſcente elaſticitas, ſucceſſiue

magis

magis deficit, hinc praeualet imminutio ſecretionis perennis liquoris ſpirituoſi neruei, qui robori ſyſtematis neruoſi conſeruando debetur; quo deficiente influxus elaſticitatis in muſculorum partes tendinoſas imminuitur, et ſenes taliter nutriti nihilominus ad quasuis actiones virium defectum ſentiunt. Cum iamiam grandaeuis et longaeuis talem nutritionem denegauerimus, non poſſumus non rarum exemplum in contrarium allegare: referunt nempe *Annal. med. phyſ. Vratisl. 1725.* menſe Sept. de femina quadam 105 annorum, quae non ſolum menſtruationem ad annum 62dum paſſa fuerit, ſed et varia obſonia, frigida tamen, comederit, et ſimul bene nutrita fuerit, multumque ſudauerit.

§. LXIII.

Supereſt, vt conſideremus *excretiones* reliquiarum inutilium in ſenibus. Excernuntur craſſae maxime per aluum, fluidae tenues per veſicam vrinariam, et tenuiores vaporoſae per cutem: de ceteris minoribus excretionibus, per nares, fauces, aures etc. in ſenio mutatis, breuitatis cauſa nulla fiet amplior mentio. Per *aluinam excretionem* eliminantur feces e corpore, quae ab ingeſtis cibis poſt chyli ſeparationem remanent, et vna cum reliquis e maſſa ſanguinea, ad canalem inteſtinorum, ſecretis recrementis, deiiciuntur. Haec excretio in vegetis ſenibus et grandaeuis, habitus adhuc ſucculenti et nutriti, ſaepe ſaepius ſolet eſſe liberior, ob ſanguinis abundantiam, ex ventriculi bona conditione ſuſtentatam, ex qua recrementa mucoſa ſimul ſecerni poſſunt. Fauet etiam liberiori tali aluo inteſtinorum ſenilis flacciditas, nec non bilis ſuperſtes bona conditio, quae

inte-

inteſtinorum motum periſtalticum langueſcere non ſinit.

§. LXIV.

Aliter autem ſe habet excretio aluina in illis, qui ſtadio longaeuitatis prope ſunt, et in ipſis longaeuis: hi ob humorum corporis factam inopiam ex inertia et penuria liquoris gaſtrici natam, non ſolum parcius cibos in ventriculum ingerunt, vnde recrementa aluina generari poſſent, ſed et ſanguis illorum minus muci recrementitii ad inteſtina delegat; bilis vappidior et viſcidior facta, inteſtina magis flaccida ad motum periſtalticum agere minus valet, hinc excretio alui imminuitur, huiusque moleſta ſegnities ſuccedit; imo ad multos dies obſtipatio, vti in longaeuo 130 annorum vidimus: accedit flatulentia, et retentio recrementorum, quorum mora ardorem et ſiccitatem, tam in inteſtinis, quam in ventriculo et faucibus parit, vt ſolenne ſit ſenibus has moleſtias frigidis potu et cibis temperare. Sic nota mihi fuit femina 85 annorum, quae cum ſub alui ſegnitie, a potu vel tepido, vel calido flatus augeri ſentiret, cum ſitiebat, (ſitiebat autem ex alui obſtipatione frequenter) vnicum tantum hauſtum cereuiſiae frigidiſſimae, quauis vice, e cella ſibi adportari faciebat, et illum ſtatim bibebat. Idem recenſent Ephem. Nat. Cur. de vetula nonagenaria, quae frigidiſſimam potauit, D. II. A. VI. Obſ. 145. Quam allegaui ſupra longaeuam, bene nutritam, frigida obſonia pro cibo ſumſiſſe legimus.

§. LXV.

Excretio renalis per veſicam vrinariam reliquiarum fluidarum maſſae ſanguineae communiter multo magis a ſtatu priſtino in ſenibus recedit, quam illa aluina: variat enim haec pro bilis ſtatu et con-

curſu: quando enim illa vappeſcit, et chymum in tranſitu non alte ſatis penetrat, non ſolum ſanguis inde euadit iniuſtae craſeos, ſed etiam ſecernitur poſtea ex ſanguine per renes copioſum ſerum limpidum, vnde vrina plus iuſto limpida euadit, non ſine metu retentae cruditatis in viſceribus. Quando autem ex bilis nimio concurſu, eius copia ſanguini miſcetur, vrina craſſior et rubens ſecernitur: licet non negandum, talem vrinam in quibusdam grandaeuis, ex ſola per aetatem inſpiſſata craſi bona ſanguinis ſaepius reddi. Vti vero excretio aluina ex allegatis cauſis in ſenio fit rarior, ita excretio vrinae eo frequentior illis exiſtit: omnes enim fere, repetitis per diem vicibus, ob veſicae in ſenio corrugationem, et minorem capacitatem, frequentiores excretiones vrgentem, vrinam reddere coguntur, quae ſimul ex deficiente veſicae robore minus preſſe effluit: ne dicam, quod excretionem vrinae interdum difficilem reddat cauſa ſontica membri virilis, e.g. Phymoſis, ex cartilaginoſitate praeputii, de quo caſum praebent Annales Vratisl. 1726. menſe Febr.

§. LXVI.

Excretio cutanea, quae *ſudoris* nomine venit, non minoris eſt in ſenio momenti. Excernitur per cutem ſerum ſalſo-vriguinoſum, tenuius, vaporoſum, a bile etiam participans; quae excretio, vti in conſiſtente aetate larga eſt, ita parcior fit ſub aetate ſenili, et quo magis aetas in ſeros vehitur annos: ſub grandaeuitate enim prouecta, et longaeuitate, ſudor vel parciſſimus, vel nullus, communiter, in obtecta corporis peripheria adeſt, exceptis rariſſimis exemplis, quorum vnum ſupra adduximus, in longaeua 105 annorum. Aliter autem ſe res habet, cum illis

lis partibus, quae nudae tenentur, facie et manibus, quarum vtraque, tam ob quotidianam ſqualidi ſudoris, per aquam, cum vel ſine ſapone, deterſionem, et hinc pororum patulum, et adperpetuam, non impeditam, ſudoris excretionem, paratum ſtatum, quam ſpeciatim in facie ob vaſorum in illa magnam abundantiam, ad ſudorem procliuior eſt: nam in his partibus ſudoris excretionem, maxime nocturno tempore, maiorem factam eſſe obſeruamus, cum euigilamus. In obtecta corporis ſuperficie, cum raro ſudor extergatur, ſpiſſeſcit, et ex parte poros ad copioſiorem excretionem obſtruit.

§. LXVII.

Praeter has ſuperficies corporis non obtectas, crinitam capitis ſuperficiem allegandam duco, ceu magnum in ſenibus ſudoris excretorium, inprimis in illis, qui boni adhuc ſunt habitus corporis. De femina illa 95 annorum, quam ob potus aſſumti copiam ſupra allegaui, hic adhuc memorandum, quod huius loci eſt, quod nempe quotidie, ob ſudoris capitis copiam, capillos pectere neceſſe habuerit, ad euaporandum morantem ſudorem, niſi viſus aciem illo die imminutam habere voluerit; debilem enim viſum ſentiebat, cum capitis pectinationem negligeret. Notandum etiam, quod omnis ſudor ſenilis, ante inualeſcentem fibrarum ariditatem, pinguior ſit, quam ille conſiſtentis aetatis, vti illud maior opera deterſionis cum ſapone indicat; quae arcto pectine ex capillis pectinatur vnguinoſitas idem demonſtrat. Id ipſum in reliquo corpore etiam apparet, in hominibus, vt vocantur, bilioſis, i. e. ſanguine pinguiore praeditis: apparet hoc praeterea, in reliquis, alius habitus ſeniculis, ſi induſiis vtantur

 laneis,

laneis, ex linteo laneo, Anglis FLANELL. dicto, paratis; haec materia enim non ſolum fouet arcte cutem, ſed et eius fibras blande fricat, eo ipſo autem ſanguinem allicit, ad ſudoris ſe- et excretionem, adeo, vt vix praeterlapſo triduo, ſudor pinguis cutem circum ambiat, qui ſi non abſtergitur, ſequentibus diebus pruritu inſequente, cuius ſit originis, demonſtrat. Quod experimentum adminiculum praebet ſenibus, quomodo cutis ariditatem praeſeruare, et conſequenter nutritionis in habitu conſeruationem retinere poſſint. Multum enim facit ad hanc et ſenum ſanitatem cutis perſpirabilitas, integram circulationem ſanguinis in peripheria indicans, et ſanguinem ab inutili ſero vappido purificans.

§. LXVIII.

Addamus his conſiderationibus duas contemplationes alias, vnam circa *ſomnum ſenilem*, et alteram circa *vires generandi* in ſenio, inprimis quia de his rebus ſupra mentionem fecimus.

§. LXIX.

Quo luculentius differentia *ſomni ſenilis* a iuuenili appareat, ſomni naturam prius conſiderare expedit. Conſiſtit autem ſomnus non ſolum in remiſſione ſenſuum, ſed et omnium viſcerum, vt ſub illa nutriantur et reficiantur nouo pabulo, per vigilias et labores conſumto: augetur ſub hac remiſſione maſſae ſanguineae motus inteſtinus, vt remiſſis placide a tono fibris omnibus refectio et nutritio eo melius peragatur. Senſuum refectio in ſomno maxime cerebri labor eſt, vtpote elaboratorii humoris, vel potius vaporis ſpirituoſi, maxime elaſtici, et ad ſenſoriorum inſtrumentorum, et totius corporis fibras nerueas, perpetua nutrione conſeruandas neceſ-

ſarii.

ſarii. Vti enim cordis motus in ſomno etiam remiſſior eſt, et quoad frequentiam fere idem, qui in ſenibus vigilantibus, ita tamen ictus celeritas minor, impetuoſitas minor in ſomno obſeruatur, ſub qua moderatione facilior penetratio maſſae ſanguineae, vti ad peripheriam, ita ad viſcera, et cerebri intimos receſſus: et quemadmodum meninges, ſub ſomno, etiam in remiſſione toni exiſtere debent, ita longior in cerebro ſanguinis mora efficit, vt vapor ille ſpirituoſus medullarem ſubſtantiam cerebri, et neruorum ſufficienter impleat, pro exequendis, ſub vigiliis craſtinis, cum vigore, officiis. Hoc vt perfecte fiat, ſanguinis craſis bene debet eſſe conſtituta, i. e. elaſtica, quae vti infantibus valde talis eſt, et in iunioribus, pro vſibus, ſufficienter talis, in ſenibus nunc eximie deficit. Hinc eſt, quod ſenum ſomnus breuis ſit, et leuis et inſomniorum ferax; quae enim in ſanguine ſuperſunt particulae elaſticae, facile in cerebro conſumuntur, pro coquendo illo vapore ſpirituoſo roſcido, ad vſum neruorum per totum corpus, quibus vtiliter conſumtis, remiſſio illa toni corporis continuari nequit, hinc ſomni breuitas. Euigilant autem ſenes horis matutinis, cum iuniores adhuc alto ſomno ſepulti iacent; abeſt in ſenibus poſt euigilationem omnis ſomnolentia, cum iunioribus poſt euigilationem labor reſtat omnem ſomnolentiam excutiendi: apparet ſic protractionem ſomni iuuenilis ex abundantia materiae elaſticae in ſanguine illorum oriri, ſenilis, ſomni leuitatem autem, qua vel ſponte, vel ad qualemcunque ſonum euigilant, ex neruorum parca remiſſione oriri; facile enim, quod a tono parce remiſit, ad tonum redit, quando non adeſt, quod remiſſionem toni fotu

 blando

blando ſuſtentat; cum e contrario in iuuenibus toni remiſſio maior ſit, quam ſaepe ſubſultus ſpaſmodicus totius corporis praecedit, quia in illis adeſt, quod plus et intimius neruos nutriat, ex quo illorum ſomni profunditas. Excipiendi autem hic ſunt ſenes, qui ſomno diuturno reficiuntur, et quibus inde ſpes longaeuitatis adfulget. Viuit talis quidam floridi, fere laxi, medii, habitus, grandaeuus, annorum 81, ante quemuis paſtum vncios duos ſpiritus vini ſumens, qui octo horarum placido ſomno fruitur, ſed non niſi cum bene coenatus lectum petit; non bene repleto ventriculo enim, inſomnia patitur dapifera, eſuriente quaſi mente. Conf. Cap. II. §. XXVII. in fine.

§. LXX.

Quod tandem ſenibus ſub ſomno pro vſu craſtino corporis elaboratum eſt ſpirituoſum, parcum ſimul eſt, et paucum; veſpera enim vix accedente laſſitudo et ſomnolentia illos occupat, quia conſumtum eſt virium pabulum, ſub nocte praegreſſa collectum. Deficit autem interdum in ſenibus plane ſomnus, quae res de magna penuria materiae elaſticae ad cerebri vſum teſtatur, niſi forſan alia incommoda in cauſa ſunt, e. g. inteſtinorum flatulentia, illorum motum tumultuarium excitans, et plexuum neruoſorum quietem et remiſſionem non permittens, ex quo impedimento et reliquum ſyſtema neruoſum per conſenſum turbatur; quin ſaepe flatulentia, premendo diaphragma, ipſius cordis motum et reſpirationis organa a neceſſaria remiſſione auocat. Vt taceam plura alia incommoda, quae ſenibus ſomnum ſaepe impediunt, vel turbant, e. g. tuſſis, mictio crebra, de quibus infra, ſub morbis.

§. LXXI.

Quod attinet *generandi vires* in ſenio, magna etiam circa illas exiſtit mutatio. Ante ſenectutem mari adeſt potentia prolem gignendi, haec vero, praeſente ſenio mutatur in impotentiam, ſi non omni ſeni, tamen multis familiarem: quae enim ſenibus multis ſupereſt, et viget adhuc generandi potentia, illa reſpectu aetatis praegreſſae valde diminuta eſt, et communiter in grandaeuis et longaeuis tota deficit, licet exempla allegentur, quod in his non ſolum potentia procreandi ſobolem, ſed et ſalacitas viguerit. Mentionem ſupra fecimus ſalacitatis in Anglo longaeuo, ſed adducere placet adhuc duo exempla nationis Danicae. Primum dat Bartholinus in Actis Med. Haffn. Vol. III. IV. de viro centenario, qui in hac aetate teſtis puellae alicuius in baptiſmo fuit; hanc puellam, cum annis nubilem, in vxorem duxit, et ex illa tres ſuſcepit liberos, ipſe tandem anno aetatis 127 mortuus: ſecundum dant Ephem. Leop. Carol. Vol. X. p. 406, de viro plebeio, ſtaturae mediocris, temperamenti cholerici, qui anno aetatis 96, virginem vetulam, annum aetatis 93tium agentem, duxerat, et quauis nocte, bis, ſaepius ter, perfectiſſime, et vix interiecta mora, cum illa concubuit. Addamus hic tertium multi potentiae grandaeuum 72 annorum, Ruſſum, de quo literae publicae anni 1755, mentionem, menſe Martio fecerunt, illum cum duabus in ſucceſſiuo matrimonio, vxoribus, ſeptuaginta genuiſſe liberos, communiter gemellos, ſaepe trigeminos aliquando quadrigeminos. Singulariſſimus autem eſt caſus, et ad morbos potius referendus, quem dant *Ephem. Nat. Cur.* D. II. A. II. Obſ. 121. quo refertur, ſeptuagenarium

rium Satyriaſi correptum, iuuenculam ſuam, quotidie quindecim, interdum viginti vicibus compreſſiſſe. Cauſam impotentiae principaliter ſeminis defectui adſcribere vetant, non ſolum haec adducta teſtimonia contrarium probantia, ſed et TIMMII ſupra data de viro 95 annorum obſeruatio: vidit enim in longaeuo hoc, vaſa ſpermatica, teſtes, et veſiculas ſeminales nullatenus aridas, ſed illis ſubiectis ſimiles, quibus vegeta adhuc eſt aetas. Comprobat hoc ſimul ſenum quorundam ſeptuagenariorum vegetorum relatio, quod ſub ſomno interdum polluantur, cum de reliquo impotentiam agendi confiteantur. Cum praeterea facile credendum ſit, non reſtare omnibus grandaeuis iamiam notata naturae beneficia, ſtatuendum ſane, impotentiam generandi illis venire ex flacciditate muſculorum organi, hanc vero ex inopia ſanguinis elaſtici ad illud viuificandum neceſſarii.

§. LXXII.

Allegada praeterea hic ſunt pericula, quae ſubeunt ſenes, cum generationis officium praeſtare cupiunt. Terreant ſane iſti caſus, quos Ephem. Nat. Cur. PLATERVS, FORESTVS, WEDELIVS, aliique de obitu ſenum in amplexibus venereis, et mox ab illis, ſine dubio ſub accedente ſyncoptico affectu, recenſent. Horrenda ſane res, ex voluptatis naturalis complemento mortis amaritudinem haurire et animam reddere. Lentam mortem grandaeuus quidam, ex cohabitatione cum arcta, aliquando reportabat: phymoſi enim afficiebatur, quam, cum negligeret, et contra frigus hibernum non bene muniret, inflammatio gangraenoſa ſequebatur, et hanc ſphacelus lethifer excipiebat. Quae in vetulis adeſt

co.ici-

concipiendi impotentia, illa iam communiter, ante ſenium adfuit; vtilis ipſis ad prolongandam vitam, quia continuata foecunditas vires corporis penitus peſſundaret; vtilis etiam natis et marito, vt vacare poſſint educationi natorum vltimorum, et mariti commodis. Caſus, qui proſtant de foecunditate vetularum, adeo rari ſunt, vt inter raro contingentia, et ſimul malo cum ſucceſſu, acta, numerari debeant. Fructus immaturos, poſt nouam menſtruationem, feminam quandam peperiſſe, docent Ephem. Nat. Curioſ. Cent. IX. X. et paruum monſtrum triceps, cum duplicato collo, eaedem, in Cent. V. VI. Vetulas autem non carere appetitu venereo, multi docent caſus. Nouellae Gallicae Leidenſes, 1755 menſe Februar. referebant, vetulam quandam 82 annorum, nec infimae ſortis, nupſiſſe viro 30 annorum. Taceo caſus illicitos; ſic olim mihi iuuenis retulit, ſe a grandaeua quadam, variis blanditiis ad concubitum allectum fuiſſe, et inde gonorrhaeam reportaſſe; poſtea etiam audiuiſſe, hanc vetulam diu hoc malo conſpurcatam fuiſſe, et credidiſſe, ſe vnice ex concubitu cum iuuene liberam fore, hoc transplantationis modo. Alia vetula, orphanotrophii miniſtra, pueros duos pubeſcentes ad frequentem congreſſum ſecum allicuerat, qui glandis vitia cum glandularum faucium inflammatione inde ſibi acquiſiuerant. Sane, *topicis Ranchinianis* non opus ipſis fuit: vide Sciagraph. Ranch. Parte IIda therapeut. Sect. I.

§. LXXIII.

Progrediamur nunc ad *mutationem ſenſuum externorum et internorum* in ſenibus fientem: in tantum tamen vnice, quatenus adhuc ſatis ſalui ſunt,

nec ab incolumitate priſtina valde declinauerunt: quod ſi enim in tantum mutati ſunt, vt morbi titu lum mereantur, nondum ſunt huius loci.

§. LXXIV.

Inter ſenſus externos principatum tenet *Viſu* Viſus organon in ſenibus ſingulares ſubit mutatio nes, quantas reliqui ſenſus non ſubeunt. Verſatu autem haec mutatio, vel ſolum circa locum et di ſtantiam obiecti videndi, vel etiam circa debilitater ex ſenio. Prior minoris eſt momenti, quam qu debilitatem inuoluit, et defectum. Dependet aute mutatio, circa diſtantiam obiecti verſans, ab ocu partium conſtitutiuarum mutatione locali, ſcilice vel ab humoris cryſtallini remotione a pupilla, v eius appropinquatione verſus illam, vel ab ipſius gl bi per aetatem coarctatione, vel eius relaxation poſitionem variam humoris vitrei, imo cryſtallin vtut ſubtiliſſimam, cauſantibus; vel tandem ex t nicae corneae, pro conſtitutione indiuiduali, maio vel minore reddita conuexitate: quae, et plura, v ſum pro mutatione loci magis vel minus perfectu reddunt, ſemper tamen in hoc ſtatu ſaluum ſeruan cum e contrario debilitas ſeu hebetudo viſus ſeni nullatenus viſum diu per ſe ſaluum manere ſin quia acies eius ſenſibiliter, ex tunicae nerueae, v ipſius nerui oculi atonia, vel ex corruptione hum rum, ſenſim ſenſimque magis ſe manifeſtante, m nuitur.

§. LXXV.

Notiſſima eſt obſeruatio circa viſum ſenum, qu plurimi illorum viſum acutiorem ad obiecta remo poſſideant, cuius rei primariam cauſam eſſe cen mus, corneae tunicae maiorem enatam eſſe conue tate

tatem, per quam anguli incidentiae radiorum magis coarctantur, quo per oculi humores acti, omnes retinam feriant, id quod in praegreſſa aetate, ob planiorem corneae rotunditatem non factum: res propinquas minores autem ſenes non adeo diſtincte et commode vident, quia multitudo radiorum, per conuexitatem corneae irruentium, confuſionem parit, non niſi per ſpecillorum refractionem tollendam. Interim, quam parit mutationem cornea, illi multum ponderis venit ex humoris cryſtallini obſtetricatione, et appropinquatione ad pupillam. Non enim ipſa tunica conuexior fit, niſi ipſius globi allongatione, quae ſimul humorem vitreum, non poteſt non, in longiorem, et ſic etiam antrorſum proprimere. Cauſam allongationis huius in fibrarum omnium totius globi relaxatione, et orbitae oculi ex ſenio coarctatione ponimus. Memorabile autem maxime omnium circa viſum ſenilem eſt, quod dentur ſenes, quibus notata viſus mutatio, iam ante ſenium facta ſit, ſub qua, absque perſpecillorum ope res minutas propinquas diſtincte videre non potuerint, elapſis autem aliquot annis, in ipſo ſenio, tamen priſtinum vigorem viſus, ad res minutas absque ope perſpecillorum videndas, receperint. Conf. Acta N. C. Vol. II. Obſeruat. 47. Rediit enim humoribus et globo priſtinus ſitus, qui non amplius indiget radiorum per perſpecillos irruentium actione.

§. LXXVI.

Quod attinet ad debilitatem viſus, ex ſenio, illa debilitati nerui optici ſpeciali adſcribenda eſt, vel originis et ſyſtematis neruoſi communis debilitati, ex ſanguine minus elaſtico. Durat haec interdum per annos, et vix perſpicillis ſiue concauis, ſiue con-

uexis

uexis iuuatur: leuatur tamen interdum quibusdam remediis, ideo eius ampliorem mentionem ſub morbis ſenum faciemus. Addendum autem huic ſermoni de vitio viſus ſenilis hoc mirandum, quod licet multis ſenibus viſus vario modo laedatur, imo plenarie tollatur, multis nihilominus longaeuis viſus perſtet incolumis, vti id multa teſtantur exempla. Quanta perfectio in hoc nobiliſſimo et artificioſiſſimo latuit organo, per tantum temporis ſpatium durans! Nec hoc ſolatii genus hic ſicco pede praetereundum, quod quibus in iuuentute phantasmata quaedam, ſub telarum aranearum complicatarum forma, obuolitarunt, licet in ſenii annis augeantur, tamen in grandaeuitatem vsque viſus aciem non deſtruant.

§. LXXVII.

Auditus organon in ſenibus nullam ſingularem mutationem ſubit, niſi communiter in peius, *difficultatem nempe audiendi*, vitio tympani aridi primario accidentem, et facile in ſurditatem tranſeuntem, de qua ideo in capite ſequenti.

§. LXXVIII.

Guſtus et olfactus nerui communiter immunes manent in ſenibus etiam longaeuis. Guſtus illorum omnium ſapidorum vſum ad longaeuitatem vsque amat: delectantur autem inprimis dulcibus; praeterea etiam ſalinis, aromaticis, ſpirituoſis, nec non acidis moderatis; amara vero, in hac aetate magis auerſantur ſenes. Verum, vti nihil tam generale, quod non ſpecialem exceptionem patiatur, ſic memini grandaeuae, quae quotidie abſinthii comulam, vnam vel alteram, in pane, pro ientaculo ſumebat. Circa *olfactum*, ſenes odoriferis humidis magis delectantur, ex herbis ſcilicet, et floribus, vaporibusque

ae aliis fragrantibus humidis, quam quae ex lignis
reſinis aduſtis hauriuntur, vtpote quae magis exa-
dos faciunt meatus olfactorios, nares: humidum
item blandum magis conuenit marceſcentibus
s partibus, quam ſiccum.

§. LXXIX.

Si tactus ſenſum examinare placet, facilis eſt con-
ctura, illum minus exquiſitum eſſe in ſenibus,
uam in iunioribus, ſenesque minore cum dolore
rre vulnera et cruciatus varios, quam iuniores: quo
agis enim fibrae ſunt viuidae et elaſticae, et ſanguis
egetus fibras laceratas expandens, eo maior dolor;
um autem ex fibris minus viuidis, et minus elaſticis
nilibus, et ſanguine ſenili vappido, nulla vel mi-
or poteſt fieri fibrarum laceratarum expanſio, eo
inor ſenibus erit dolor. Probat hoc experientia,
am bellica, quam forenſis; ſiquidem ſenex miles
ulnera, quae animo intrepido excepit, forti patien-
a ferre obſeruatur; et ſenex maleficus poenarum
ericula vilipendens, etiam grauitatem illarum vili-
endet. Frigoris ſenſus quidem inprimis humidi,
el et ſicci intenſi, non ſolum moleſtus, ſed et peri-
uloſus eſt; proteritur enim per illud, quicquid ad-
uc ſupereſt elaſtici in corporis peripheria, et ſic vi-
es vitae afficit. Notatu autem dignum eſt, ſenes
frigore, quem ſaepe obſeruare licet, fere conuul-
iuum, non conuelli, quemadmodum iuniores: cau-
a in elaſticitate peripheriae neruoſae corporis im-
ninuta aperte latet. Interim extremitates artuum,
ligiti nempe manuum pedumque, inſenſibiliter, in-
cautis, labem a frigore acquirunt, ceu partes magis
exſangues, hinc perniones, ſphacelus, paronychia.

§. LXXX.

§. LXXX.

Mutationes, quae fiunt in corpore ſenili multiuarias iam conſiderauimus; ſed reſtant adhuc, quae ſunt prae omnibus magis ſonticae, nempe, quas patiuntur ſenſus interni. Omne ſane reliquum, quod ab hominibus expetitur bonum et beneficium flebile eſt, quando ſenſus interni a vigore ſuo multum mutantur. Cum enim in horum vigore nobilis illa prae brutis exiſtat differentia, certe hac, per labem inſignem ſenſuum internorum ſublata, bruteſcimus. Sunt autem ſenſuum internorum, poſt perceptionem, ſeu ſenſationem paſſam, *Imaginatio*, *Iudicatio*, *Memoria*, ſeu imaginum formatarum et iudicatarum repetitio. Perceptio omnis ſenſuum externorum ope perficitur, qui vbi ſunt vitioſi, perceptio, imago impreſſa, iudicium de imagine, et imaginis repetio erunt vitioſae, et falſae: quae res cum facile ex vitiatis ſenſibus externis oriri poteſt, dolenda quidem eſt; attamen tantae miſeriae ſpeculum non praebet, quam ſi ſenſibus externis perfectis, ſenſuum internorum debita miniſteria animae deficiant.

§. LXXXI.

Contingunt autem hi defectus in ſenibus, vel cerebri quodam vitio, vel ex intenſione nimia illarum facultatum; nec valde rara ſunt exempla ſenum, ex hoc defectu plusquam bruteſcentium. Horreo, dum reminiſcor exempli, quod praebuit vir apud Noſtrates, olim vitae actiuae, iudicii acris, et per totam vitam bene valentis, qui, dum in ſenio variis aerumnis praemeretur, grandaeuus factus, non ſolum inſignem memoriae labem incurrebat, vt infanteſceret, ſed vltimis annis plusquam brutam, i. e. omni

dicio et memoria vacuam ageret vitam: ſenſibus
ternis ipſi ſaluis, ſtupore adeo enormi afficieba-
ır, vt etiam ipſi naturales interni ſenſus, eſuritio
ſitis carerent; non cupiebat cibum niſi oblatum,
ec potum, niſi propinatum: omnis cupiditatis et
oluntatis expers: deerat ipſi ſimul potentia ambu-
ndi, ideo immotus ſedebat, nec moueri deſidera-
at: loquela ipſi rara, eaque muſſitabunda: errans
ore mortis pallor: excrementorum omnium, ſi
on inſenſilis, tamen non indicata excretio, res do-
eſticis moleſtiſſima. O miſeranda hominum con-
itio, quando actiones mentis vel furiunt, vel ceſ-
ınt, vita ſuperſtite! Perit in tali cerebri ſenilis la-
e ſeria rerum imaginatio, vnde videas, ſenes facile
dere, circa res non ridendas: memoria facile illis
xcidunt res nouiter exceptae, nec reminiſcuntur
re, niſi rerum in vita ante acta perceptarum. Mi-
rum exemplum vidi in foemina ſene, aerumnis
acta, cui perceptio, ab obiecto, e. g. illam viſitan-
amico quodam, adeo nullam actionem in ſenſus
nternos ingerebat, vt quem, eodem momento, gra-
ulabunda, de aduentu eius, ſalutabat; poſt eius di-
ceſſum, et eodem momento factum reditum, de no-
o, cum gaudio, vt diu non viſum, ſalutaret. La-
orabat ſimul habituali ſtranguria, quae ſeri vrina-
ii retenſio ſine dubio, cerebri inundationem, et ta-
em in ſenſibus internis effectum produxit. In cau-
a communiter ſunt vel flacciditas cerebri, vel inun-
atio eius a ſero, vel nimia oneratio imaginationis
t idearum. Quemadmodum enim in ſtatu cerebri
ntegro phantaſia imagines, motu ſpeciali ineffabili,
ta impreſſit, vt aliquando, imo pro lubitu repeti
oſſint, per motum reminiſcendi, iditem ineffabilem

et

et ſecretum, ita ex allegatis cauſis, nunc ad omnes hos mentis actus impotentia adeſt. Proſtant in Gerontotrophiis Hollandicis, aliisque, ſat triſtia hominum exempla, ſexus vtriusque, ex quorum ſenio hominum flebilem conditionem conſiderare, et quid; intellectum, et animi omnes facultates ad mortem vsque ſeruatas habere, beneficii excellentis ſit, perpendere licet: cuius excellens exemplum hic allegare iuuat, quod literae publicae, anni 1755, de venerando Sueco, Epiſcopo Linciopingenſe, ſeptuaginta et octo annorum grandaeuo narrabant, quod nempe oratione quadam inaugurali, ſynodali, trecentos verſus heroicos, latinos, memoriter et eleganter recitauerit. Venerabile ornamentum in grandaeuo venerabili.

§. LXXXII.

Quae poſt perceptionem primam animae tumultuarie et praecipitanter oriuntur *Iudicii* actiones, *paſſiones* eius communiter appellantur, cum reſpectu primario *actiones* nuncupari debeant. Interim reſpectu incommodi, quod has actiones ſaepiſſime ſequitur, paſſionum titulo inſigniendae erunt. Raro autem in ſenibus illas tantas obſeruamus, quantas in iunioribus videmus: vti enim ſanguis, eiusque motus in iuuentute agilior et velocior eſt, ita etiam in illa animi motus ſunt vehementiores. Largimur etiam interdum vehementiam animi ſenilis commotionibus, tamen frequentia commotionum praeualet in iuuenibus. Vti enim, e contrario in ſenibus ſanguis adeſt minus agilis, eiusque motus moderatior, ita etiam animi motus illorum ſunt rariores et minus vehementes. Certe ob valetudinem labeſcentem ſenibus magis eſt neceſſarium animi

mi aequilibrium ſeruare, ne ex eius commotionibus corpori debilitato maiores ſuperueniant turbae et noxae, quam quae iam adſunt: hinc ex commotionibus animi vehementioribus plus periculi naſci quam iunioribus, cognitum ſatis eſt; ſaepiſſime enim illas ſequuntur apoplexiae, paralyſes, imo interdum ipſius cordis flaccidi ruptura, vti ſupra in allegatis caſibus legimus, ſiue illae commotiones originem debeant terroribus, ſiue iracundiis. Ipſa lenta et perpetua animi molimina, e. g. ad odium, metum, cupiditates acquirendi, cet. neruoſum illud elaſticum conſumunt, ſomnum tollunt, appetitum deſtruunt, et ſic reſarcitionem virium per nutrimenta et ſomnum impediendo, plus noxae corpori ſenili afferunt, quam ſi per labores exceſſiuos vires exhaurirentur; ſuperſtite enim animi tranquillitate, ſomnus et victus ſubito illas redderet. Nuper octogenaria, debilis quidem, at ſat bene valens, ex iracundia in tremores corporis incidebat, qui, licet mox euanescerent, generi neruoſo tantam debilitatem inflixerant, vt corpus ad priſtinum robur non rediret, ſed lecto ex hinc ad fixam aegram, ſenſim aliquot ſeptimanarum interuallo, morti traderent.

§. LXXXIII.

Maxime autem animi ſenilis commotionum vehementia, et huius conſectaria funeſta, vel etiam earundem moderatio, a cerebri conditione dependet, vtpote quo organo mediante, vel praeceps, vel lentum iudicium, et ſecundum hoc actus contingit, niſi vires prudentiae intercedant et praeualeant. Ex cerebri conditione fit, vt actus animi, qui inſurgebant praecoces et vehementes antea, in lenes nunc

mutentur, et ſucceſſiue adeo, vt plane ſatiſcant, et illorum loco interdum ſtupiditas ſuccedat.

§. LXXXIV.

Lenitatem actionum animi communiter comitatur leuitas curarum corporis ſenilis, quin eius negligentia. Rara ideo eſt ſenibus coniuncta cura de ornando illo per veſtimenta; licet occurrant aliquando exempla in contrarium, pro diuerſitate conſuetudinis et temperamentorum, ſeu affectionum naturalium, nam, qui in praegreſſa aetate multum curarum in luxu adhibuerunt, illis in ſenio ex imperio conſuetudinis difficile erit ab illo abſtinere: nec hic aliter, quam in reliquis ex temperamento natis conſuetudinibus, dum qui in praegreſſa aetate propenſum erga ſexum ſequiorem habuerunt animum, illi certe et in ſenio ex eius blanditiis voluptatem capient: qui pecuniis congerendis ante operam nauarunt, perpetuos de parſimonia ducent ſermones; et qui annis praegreſſis iracundiae dediti fuere, moroſi valde erunt per ſenium, et ſic de reliquis. Perpenſis ſic mutationibus, per aetatem factis, addamus, colophonis ergo, elegantes HEBENSTREITII, in prima parte Phyſiol. C. tertio, easdem etiam pingentes verſus:

Perpetuum nihil eſt, verſatque volubile fatum
Omnia, progreſſuque ſuo corrumpitur aetas.
Ergo per aetatem procedit vita virilem
Ipſaque continuo dureſcunt robora motu.
Non tamen ad certos aetas adſtringitur annos
Vtque vigor natiuus ineſt, ſic corpora durant,
Vt quoque quisque bonae ſe rexit lege diaetae,
Sic valet, et ſeros robuſtus viuit in annos,
Sed quicunque vigor validos durabilis artus

Actuet,

Actuet, et contra, vitali robore, fatum
Militet, haud tamen eſſe poteſt durabile robur,
Intereunt vires ſenſim, florensque ſenectus
Prima venit, virtus pro vitae ſufficit vſu:
Vmbra iuuentutis ſupereſt, eſt vmbra ſenectae.
Sic, vbi labentem nox frigida temperat annum,
Sole tepent luces, et adeſt aeſtatis imago:
Non aliter vegetae dantur confinia vitae
Menſuratque gradus, veniendo ſera ſenectus,
Prima libido fugit, veneris fit frigidus ardor,
Canities niueos tingit candore capillos,
Membra tremore fluunt, vacillant robora motus,
Defluit alueolo molitor, curuataque ſpina
Pendet, et incerto procedunt crura meatu.
Nec virtus animi, quo plus proceſſerit aetas,
Ingeniumue manent, ſenſusue, memorue facultas,
Sed, cum decrepitam metitur vita ſenectam,
Organa dureſcunt animae, tunc neruus hebeſcit,
Ipſaque per proprios ſoluuntur corpora motus.

§. LXXXV.

Conſideratis itaque, forma omni, et actionibus ariis, quibus ſenes ſe diſtinguunt a iunioribus, non iutile fore duco, *ſimilitudinem* allegare, ſecundum uam ſenes ad aetatem praegreſſam, diu poſt ſe rectam, puerilem nempe, reuertuntur, verbo repueaſcunt, vt inde prouerbium *ſenes bis pueri* ortum ium teneat. Pertinent enim haec ad hiſtoriam :nii.

§. LXXXVI.

Redeunt itaque in multis ſenibus, in grandaeuis ıprimis et in longaeuis, proprietates, infantili aeta- propriae. Quemadmodum autem hae proprie- :tes duorum ſunt generum; ita etiam non ſunt

omnes in omnibus ſenibus: diuidendae autem ſunt in illas, quae *animi actus* vocari poſſunt, et in illas, quae *mutationem valetudinis* in ſene ſequuntur, et tandem, in quo ſecundum morbidum ſtatum conueniunt. Ratio conuenientiae in organorum conditione, ex prouecta aetate nata, haeret.

§. LXXXVII.

Notanda autem hic ſunt ſequentia. 1. *Propenſio animorum reciproca*, quam ſenes erga pueros plus produnt, quam quando iuuenes fuerant, et puerorum erga ſenes affectus, modo ſenes ipſis parum ſint familiares. 2. Quis neſcit *iudicium* in infantibus eſſe *erroneum*, pro cuius nutu celerrime agunt, quod intendunt; ſic in grandaeuis iudicium eſt erroneum, nec adeo acre, vt antea, licet executio intentionis tardior ſit, quam in infantibus. 3. *Rerum incuria* obſeruatur in infantibus, quippe de futuris non ſolliciti; idem contingit in ſenibus multis, qui ex curis praegreſſis laſſi, iam de futuris incurii redditi ſunt. 4. In teneris infantibus ex ſenſuum nondum exercito vſu *ſoporoſitas* et *ſtupiditas*: ita in ſenibus ex nimio exercitio ſenſuum, tam internorum, quam externorum, hebetudo, et ex cerebri, per lymphae extrauaſationem, vel aliam labem, naſcitur ſtupiditas, quae non ſolum infantili aequat, ſed ſaepe illam ſuperat. 5. *Riſus* in pueris facile excitari poteſt: et ſenes admodum ſunt riſibiles. Quemadmodum etiam pueros ad *lacrymas* et fletus, per iniurias reales, vel praeſumtiuas concitare facile eſt, ita ſenes facile, vel ob iniurias, vel ex commiſeratione quadam, ad lacrymas commouentur. Haec de animorum ſimilitudine. Videamus nunc in quibus ſenes conue-

conueniant cum pueris, pro mutata valetudine ſenum.

§. LXXXVIII.

Conueniunt autem 1. *in imbecillitate corporis*, qua infantes erecti ſedere nequeunt, ſed teneri debent, et quidem prona facie incuruati, quia debilia adhuc ſunt ſpinae dorſi ligamenta: idem obſeruare licet in multis grandaeuis, ex eadem ſpinae dorſi ligamentorum flacciditate, ipſam ſpinam incuruante. Eadem impotentia hominis grandaeui mundum egredientis, quam hominis mundum ingredientis. 2. In *inceſſu* infantum, thorace ductorum: hic plerumque ab initio in pedum digitis fit, quia calcanei tendines adhuc infirmi ſunt, ad molem corporis plano pede ſuſtentandam: idem apparet in multis ſenibus grandaeuis, qui, dum corporis moles, ob ſpinae dorſi incuruationem, recta in linea ſuſtineri nequit, vnice digitis pedum, miniſtrante baculo ingrediuntur; dum in primo ſenio, e contra, magis calcaneo innitebantur, vti ſupra dictum. 3. *Manu ducendi* ſaepe ſunt ſenes, ceu pueri, ne cadant, vel in obuia illidant, ne venti flatu proſternantur, ne a multitudine hominum proterantur, etc. 4. *Impotentes* ſunt infantes ſe ipſos *veſtiendi*; illi ob vires nondum datas, hi ob amiſſas. 5. *Immunditiès* ex mictione, in infante et ſene grandaeuo ſaepe eadem eſt: vterque enim, niſi in hoc opere adiuuetur, eius rei notas gerere non euitabit: ne dicam de vrinae ſtillicidio, ſenibus grandaeuis familiari. 6. Conueniunt ſenes cum infantibus in *dentium carentia*; illi, quia ex aetate edentuli facti ſunt, et cibos pulmoſos edere coguntur, hi, quia ipſa prima minorennitas dentes ipſis nondum dedit. 7. Aequantur in

balbutiente loquela, quae adeſt in infantibus ob nondum factum ſufficientem linguae vſum, in ſenibus autem ob defectum dentium. 8. Conueniunt in *anhelo ingreſſu*, qui in infantibus exiſtit ex pulmonum oppletione, et muſculorum thoracis nondum acquiſita firmitate; in ſenibus autem ex pulmonum, et arteriae aſperae rigiditate, ad mollem inſpirationem inhabili. 9. Eadem ſimilitudo in *loquela* et *cantu*. 10. *Capillorum color* ſaepe ſeni et infanti idem eſt: illorum enim permultis, inprimis borealibus, albi ſunt, ex abundantia ſubtilis, teneraeque lymphae; in ſenibus canitie albeſcunt, ob capillorum radices variatas, ſerum craſi mutatum, haurientes. (§. XVIII.) 11. Conueniunt in *cibis*. Lac eſt cibus infantum, quem prae aliis amant, et etiam ferunt, quia ſapidiores cibi linguam teneram feriunt, et ſimul, ob ventriculi infirmitatem, concoctu difficiliores eſſe poſſent: ſenes grandaeui, licet ventriculum communiter ſapidis ſalſisque reficiant, ſaepius tamen etiam lacte veſcuntur, ad temperandam ſanguinis ſalſedinem, et ad ariditatem fibrarum, in quam ex ſenio ruunt, ſi non euitandam, tamen demulcendam. Dulcibus delectantur infantes, ob eandem cauſam, lingae nempe teneritatem; ſenes itidem ob demulcendas linguae papulas areſientes, nec non ob oleum et pinguedinem balſamicam demulcentem, quam poſſident ſaccharata; hinc ſolennis eſt ſacchari et fructuum dulcium vſus ſenibus, qualis ipſis non fuit in praegreſſa aetate. 12. *Seri excrementitii mucoſi fluxus per nares*, ex eius abundantia ad membranam pituitoſam ruit in infantibus, nec non ſaliuae, tam in ſtatu morboſo, quam extra illum; in ſenibus autem idem contingit, ex eiusdem membra-

membranae flacciditate, et quoad ſaliuam etiam, ob debilitatem orificiorum ductuum ſalivalium, ad tantam interdum copiam, vt inde debilitatem corporis ſentiant: et quae poſſent praeter haec allata adhuc allegari plura, in quibus *ſenes bis pueri* ſunt, pro mutata valetudine ſenum.

§. LXXXIX.

Conueniunt tandem in morbido ſtatu. e. g. *Ophthalmia*, qua infantes ſaepe laborant, ob ſerum ſalſum abundans, ſenes vero ob eius abundantiam ex glandularum palpebrarum impedita ſecretione: hinc et ſenibus per noctem palpebrae conglutinantur, vti infantibus. *Aurium excoriatione*, infantibus ex abundantia ſeri, ſenibus ex glandularum ſebacearum obſtructione. Huius conuenientiae non attenta conſideratio, aliquando ſenem fecit curam luis venereae ſuſtinere, quia olim lue venerea laborauerat, et haec excoriatio pro reſiduo luis habebatur. *Torminibus*, quibus infantes moleſtantur ex lacte aceſcente, et flatulento: ſenes iisdem doloribus colicis ex flatulentia nata ex flacciditate inteſtinorum. *Diarrhaea* ex iisdem cauſis. *Scabie*, quae infantes infeſtat, ex abundantia ſeri ſalſi, ſenes vero ob ſerum ſalſum ſub cute retentum. *Calculo veſicae*: vide Cap. II. §. CXXX. *Catharro ſuffocatiuo*, infantibus ex lymphae abundantia, et bronchiorum arctitudine; ſenibus ex lymphae ſpiſſitudine, et pulmonum atonia obrepente etc. *Diſſimiles* autem quoad morbos ſunt, quod febribus et conuulſionibus minus obnoxii ſint ſenes, quam infantes, vtpote quorum ſanguis, ob craſin compactiorem, non adeo enormiter exaeſtuat, nec in putredinem vniuerſalem, fermentatiuam, adeo ſubito tranſit, vt infan-

tum ſanguis: quod, praeterea ſenum organa nobiliora cerebrum, cor, pulmones et hepar, fibris gaudeant durioribus, nec ad deſtructionem, quam exaeſtuatio ſanguinis inducere poſſet, adeo pronis. Conf. Cap. II. §. CLXXIX.

§. XC.

Quemadmodum autem omnis recenſitus relapſus ad pueritiam commiſeratione dignus eſt, ita naturae autocraticae beneficio interdum contingit ad feliciorem *reiuueneſcentiam* redire ſenes. Sed, proh dolor! de hac extant caſus rariores, quam de ipſa ſuprema longaeuitate, quae naturae proprior eſt, quam reiuueneſcentia. Memini ex LOTICHIO alicubi allegatum caſum legiſſe, recenſentem, ſeni cuidam, poſt perpeſſam febrim acutam, rediiſſe habitum, et vires iuueniles, crines canos mutatos fuiſſe in priſtinos nigros, dentium vacua ſpatia fuiſſe repleta nouis dentibus, etc.

§. XCI.

Vltimam tandem ſcenam hiſtoriae ſenii aperimus, quae *regimen vitae ſenilis* ſpectandum praebet; rem totius tractationis fere primariam, vtpote, qua plurimi longaeui vſi ſunt ad reddenda leuiora incommoda ſenectutis. Plurimorum regimen proferre opus eſt, illorum autem primario, qui caute et prouide pro naturae viribus, vitam ſecundum res non naturales, vel alio commodo modo, et ex proprio inſtinctu duxerunt, mentio facienda; nec producantur hic, pro norma, illi pauciores, qui neglecto regimine, imo peſſundatis naturae viribus, longaeuitatem acquiſiuerunt.

§. XCII.

§. XCII.

De prioribus *duae claſſes* formari poterunt. In *primam* locabimus illos, qui natura debiles ſunt, et qui ad conſeruationem ſui ex naturae inſtinctu ab infantia ſe abſtinuerunt, ab illis rebus, quas valetudini noxias obſeruarunt: hinc rachiticos et gibboſos factos eſſe grandaeuos non rarum. Ipſam autem talem, naturae et fabricae corporis debilitatem, velificare interdum ad obtinendam prouectam ſenectutem, exinde cenſemus, quod ſubiectis teneris, quoad partes muſculoſas imo oſſeas, talibus, natura ſaepius neruos eminenter validiores praebuit: videas enim infantes, e. g. rachiticos, mole capitis grandi communiter praeditos eſſe, et conſequenter mole ipſius cerebri grandiore; cum iam tales infantes per annos pueriles a morbis periculoſis immunes euaſerunt, moles cerebri, cum annis condenſata, egregiam oeconomiam pro largienda copia materiae elaſticae neruis corporis dabit, et reliquos reſarciet defectus: quid, quod ſanguis talium puerorum, quibus viſcera quaedam ſunt debilia, vt inde imperfecte valeant, non ſit ſemper craſeos tenerae et delicatae, ſed ſaepe crudioris, et a ſalſedine magis imbutae; quo ipſo autem talis ſanguis minus ſubiectus eſt deſtructioni per contingentes ſtagnationes, vel ex alia cauſa; cum e contrario notum ſit, quam quod notiſſimum, infantes et iuuenes optime valentes, et quibus optima craſis ſanguinis, cum qua optime et robuſte valent, occaſione febrilis morbi facile obire.

§. XCIII.

Quae nunc tali conſtitutioni valetudinis aequiuocae accedit vitae cautio, vitando ea, quae ipſi ob-

ſeruantur contraria et noxia, tunc talis vacillans valetudo, ex robore cerebri increſcente, et ipſius ſanguinis, per nutrimenta conuenientia, meliori acquiſita craſi, firmior creſcit, ad ſenium prouectum vsque. Sufficit enim in talibus ſubiectis, ad grandaeuitatem attingendam, et corporis et ſanguinis deterior, at bene cultus, ſtatus. De debilibus autem, qui ad longaeuitatem prouecti ſunt, perpauca dantur exempla; nam in grandaeuitatis ſtadio multum de ſanguine, per bonum regimen meliorato, rurſus deteritur; praeualet enim denuo vitioſior pars, et relabitur ad prima vitia, quae ipſa ſenectus auget, et ſic corporis plenaria deſtructio ſuccedit. Interim exempli loco hic mentio facienda famoſi illius Itali, CORNARI, qui aegrum corpus, exactiſſima diaeta, et vitae regimine, ſibi electo, conueniente, prouido, adeo correxit, et coluit, vt longaeuitatem ſibi adſciſceret.

§. XCIV.

Ad *ſecundam Claſſem* pertinent illi, qui optimum habitum corporis, et quoad omnes partes ſolidas perfectum, ſimulque optima craſi ſanguinis gaudentem, caute, temperanter, et ſobrie conſeruarunt, eoque ipſo vitam in ſeros annos protraxerunt. Horum ſunt plurima, quae proſtant, longaeuorum exempla. Prodeat inter illos, quos ſupra adduximus, Vngarus ille *Petrus* CZARTAN, qui prout *Annal. phyſ. med. Vratislav.* aliaeque de illo datae relationes publicae aſſerunt, 185 annos impleuit, et conſideremus eius regimen: refertur autem, illum quotidie bonum hauſtum ſpiritus vini ſumſiſſe, de cetero lacte vſum fuiſſe et pane triticeo; ieiunia autem rigoroſa eccleſiaſtica, quae in Vngaria obſeruantur, Graeca, ſimul obſer-

obſeruaſſe, i. e. lacte tunc abſtinuiſſe, et vel ex piſcibus, vel ex farinaceis, vel leguminibus vixiſſe. Anglus ille annorum 130, vltimis annis ex pane, butyro et ſaccharo vixit, quod autem aliquid ſpiritus vini ſumſerit, non memoratur. Anno 1748, de longaeuo Anglo 116 annorum, mortuo, referebatur, illum in vltimis quinquaginta annis ſolum cibum illum farinaceum, Pudding, in brandio ediſſe, et quouis mane infuſum meliſſae, cum melle edulcoratum bibiſſe. Quis hoc regimen ad longaeuitatem ſerio commendaret? Animalia faſtidiunt perpetuos eosdem cibos, et varietate delectantur. *Transactiones Philoſoph. Angl.* docent, virginem, ex eſu ſalis perpetuo, pica vrgente, ceu caro ſalita, inflexilem redditam fuiſſe; quis non ex perpetuo farinae eſu metueret, ſe in maſſam redditum iri piſtoriam. Mira ſane inſtinctus naturalis dictatura, principiis medicis a priori repugnans. Repetenda hic ſunt breuiter regimina longaeuarum feminarum, quarum ſupra mentionem fecimus, et quarum vna 105 annorum, ex obſoniis frigidis viuebat; alia nonagenaria frigidiſſimam bibebat; alia ſolum ex pane et multa cereuiſia vitam prolongabat. Addamus feminam anglicam, quae ſecundum datam 1748 relationem, anno aetatis centeſimo octauo obiit, et temperantiae ſemper dedita, per vltimos vitae ſexaginta annos, ſolum ex pane biscocto, et pomis pro victu, et lacte cum aqua pro potu vſa erat. Quibusnam ex regulis diaeteticis, ſecundum res non naturales, conditis, hoc regimen ſibi ſanciuit, et ſacrum tenendum duxit, cum nondum eſſet quadragenaria? CORNARVS nondum quadragenarius, valetudinarius, legem ſibi ſanciuerat, vltra 12 vncias, ex carnibus, ouis, piſcibus per diem

non

non edendi, et potus tantum vncias 14. Seuera lex ante ſenium; in grandaeuitate et longaeuitate indulgens, quoad cibos; quoad potum autem etiam ſeuera; non enim ſufficit ad ſanguinis fluiditatem conſeruandam. Verum, non obtrudamus illis noſtra conſilia; ipſi res ſuas dirigent et in ſuam ſalutem peragent. Anno 1749 moriebatur in Noſocomio Berolinenſi longaeua, etiam 108 annorum, quae quolibet mane, non admodum modicam portionem potus Caffee abſorbſerat: quis ideo has fabas ad longaeuitatem commendaret, cum non deſint, qui per hunc potum empyreumaticum vitam abbreuiari declarent. Illum autem in nutrimentum huic feminae ceſſiſſe incredibile eſt, neruinum potius ipſi fuiſſe certum eſt. Nouimus enim feminas bona conſtitutione neruorum gaudentes, hoc empyreuma, ceu roborans in deliciis habere, et bene ferre eius actiuitatem in neruos; ſimulac autem nerui imbecilliores ex morbo facti ſunt, vehementius in illos hoc empyreuma operari, vt illud ferre nequeant: hinc practicis prognoſtici loco eſt.

§. XCV.

Referunt praeterea allegati *Annal. Vratislav.* de pluribus longaeuis, illos quotidie hauſtum ſpiritus vini, vel frumenti, inprimis oleo quodam dulci, e. g. aniſi, foeniculi, imbuti, ſumſiſſe, cibosque molliores dulces, inſipidos. Notandum etiam, has relationes ſolum docere, quomodo hi longaeui vltimis vitae annis victum ſibi parauerint, (exceptis in praeced. §. duobus longaeuis anglicae nationis) cum iam emarcuerat fere fons liquoris gaſtrici, qualem in grandaeuitate, et ante tantum annorum numerum, ſine dubio nullatenus adhibuerunt: indomita

enim

enim vltimis annis, vel non emendabilis amplius ipſis fuit ventriculi reprobatio circa cibos ſolidiores. Perhibent relationes ſimul de his longaeuis, quod fuerint plebeii, ruſtici, et vilioris conditionis homines, de quibus iudicare licet, illos cibos ſimplices, viliores, ſolidos, vt ipſis ſolenne, in vſum tantum traxiſſe, idque temperanter, nec immodice: non datur enim luxuriei et intemperantiae locus circa ſimplices et ſimpliciter paratos cibos; ſimplex, et incuria eſt illorum praeparatio, quin ſaepe crudiores, absque omni, vel parco igne parantur. Memini hic reſponſi, a ruſtica, quae ſibi rapas cum ſale coquebat, mihi forte adſtanti, dati; vix enim feruida aqua incaluerant rapae, cum catinum ab igne remoueret, et ad prandium ex illis parandum properaret; mirans ego feſtinationem, cum rapis inſufficienter coctis, hoc tuli reſponſum: Oh! ſi nos plebeii cibos noſtros adeo fortiter coqueremus, vti vos opulenti, adeo imbecillos foremus, vti vos: mirabar, et probabam tacite hoc reſponſum, nec habebam, quid regerere.

§. XCVI.

Certum itaque eſt, qui fuerunt longaeui, vti ex plebeiorum genere plerique fuerunt, ita victu ſimplici, pro regionis commoditate, vel ex carnibus, vel ex piſcibus, vel ex vegetabilibus, addito, vel absque, ſale vſos fuiſſe; corpus praeterea motu laborioſo, pro exigentia vitae generis, exercuiſſe. Interim vti fuerunt ſecundum noſtram relationem, qui moderate ſpiritu vini, vel frumenti, vſi ſunt longaeui, ita fuerunt etiam, qui illo abſtinuerunt. Illa ſupra allegata longaeua, multum cereuiſiae bibens illo non vtebatur; et ſic de grandaeuis. Octogenarius qui-

dam

dam tuſſi graui ſaepiſſime decumbens, nullatenus illum ſumebat, ſed potum frigidum miſcebat ſaepe cibis frigidis, e. g. braſſicae muriaticae crudae, et ſimilibus; de cetero autem interdum calida lacticinia pro victu adhibebat. Braſſicam muriaticam frigidam edere, in his regionibus, multis ſolenne eſt, et noui longaeuum 93 annorum, hominem opulentum, qui illam inter lautiſſimas ſuas dapes numerabat. Non vereor in hanc claſſem includere Lappones et Calmuccos, (nam aliarum gentium, in reliquis mundi partibus degentibus, vitae regimen huc trahere vix licet) qui ex cibis crudiſſimis, temperanter ſumtis; illi ex radicibus variarum plantarum, pulpam farinaceam praebentibus, baccis, piſcibus et lacte ceruino, vitam longaeuam trahentes; hi ex carnibus crudis, pariter absque ſale, longos viuunt in annos.

§. XCVII.

Senes omnes fere potus amantes eſſe, pleroſque autem frigidam potare, iam ſupra innuimus, exemplis, additis aliquibus rationibus; hic addamus, quod plurimi ſenum, iuſcula calida in victu auerſentur, inprimis verſus noctem. Eadem ratio, quae frigidam bibere iubet, iuſcula calida ſorbere vetat, quia, vti frigida pota fibras ventriculi et inteſtinorum roborat, et aeſtum ſanguinis in venis flaccidis, et ſemiuaricoſis ſtagnantis temperat, ita talia contrarii ſunt effectus, et flatulentiam, cum inquietudine, ſomnum impediente, pariunt; repletur enim et extenditur magis ventriculus a calidis iuſculis et a calido potu, nec niſi in robuſtis ventriculis, quales in ſenibus rariores ſunt, licet ſaepe edaces ſint, locum inueniunt: onerant ventriculum ſaepius vl-

tra

a vires reſiſtentiae, explicando rugas et plicas ven-
iculi, validi ſignum: et quod maximum eſt, par-
um liquorem gaſtricum diluunt, et obtundunt, co-
ioſe ſumta; parcus enim illorum vſus, inprimis in
ſſuetis et iis, quos inſtinctus ad illa fert, et nihil
ncommodi inde naſcitur, non eſt adeo noxius.

§. XCVIII.

Effectus copioſe aſſumpti iuſculi non in congrue
equiparari poteſt, illi, quem, e. g. aqua calida, ve-
cae bouinae infert, ſi haec illa impletur; ſequitur
nim infuſionem aquae in veſicam, licet ſiccam et
orrugatam, huius ſubitanea diſtenſio circa omnes
bras, qualis non contingit, ſi fruſtis rerum ſolida-
um impletur. Interim, quando videmus ſenes ci-
os ſolidos, fumo induratos, ſalitos, aromate imbu-
os facilius concoquere, hoc non attribuendum eſt
obori ventriculi ſenilis forſan aucto, quin potius
lebilitati ventriculi documentum eſt: Fert enim et
ubet inſtinctus ad haec, vt acuatur ipſe liquor ga-
tricus, ad concoctionem meliorem, ſalitis, fumi ſa-
e volatili induratis carnibus, piſcibus, aliisque ita
onditis eduliis, modice ſumtis: ipſe ſanguis a chy-
o inde parato refectus a viſciditate ſeruatur, et vir-
utem acquirit aperitiuam, qua colatoria penetrat,
t tam ſecretiones quam excretiones melius perfi-
it; ventriculus, et inteſtina quorum motum peri-
ſtalticum promouet, a flatulentia praeſeruantur, nec
udias renes et veſicam, a cibo hoc, per fumum li-
gnorum fere ammoniacalem, facto muco abundan-
iore onerari. Oportet autem, vt talis caro fumata,
it, 1. pinguis et ſucculenta, 2. ſale antea ſufficien-
er penetrata, 3. fumo longo non exſucca facta,
nec 4. rancida. Carlivs in *monitis* ſuis *medicis*
allegat

allegat virum 84 annorum, qui ſpatio 24 annorum a carne abſtinuerat, recenti et fumata: largimur hoc verum et poſſibile eſſe, ex quo autem victum ceperit, ſi bene memini, non addit; forſan ex piſcibus et regno vegetabili. Qui piſces aëre exſiccatos, absque incommodo, comedunt grandaeui, quales dantur, illis de robore ventriculi et liquoris gaſtrici gratulandum. Verum enim vero, bene hic animaduertendum, non omni nationi Europae noſtrae tale, in ſenio, veſcendi regimen ſuaderi poſſe: variat enim hoc pro conditione regionum, et eius variae fertilitatis. Multum dominii in hoc ſibi poſcit conſuetudo a teneris, et haereditarius ſanguis. Certe Hiſpani, Galli, Italique adſueuerunt cibis multum tenerioribus, carnibus recentibus, pane hordeaceo, piſcibus delicatis, fructibus ſaccharo conditis, vel non conditis frugibusque terrae vario modo paratis, nec multis artificiis, niſi conditura ſimplici, correctis, potu plerumque aquoſo; et ex his ſibi longam conſeruant vitam.

§. XCIX.

Conſuetudini, ſecundum quam victum nobis paramus, et ex hoc, ſanguinem, magnum eſt imperium, illudque maxime apud aegrotos attendendum eſt. Qui grandaeuos, quando aegrotant, a cibo ſolito duriore, quorum vſu grandaeuitatem aſſecuti ſunt, in totum arcent, et illum cum alio teneriore mutare iubent, facile peccant. Exemplo ſit vir annorum 79, robuſtae, non tamen plebeiae, conditionis, et huc vsque optime valens, qui ex contuſione tibiae, eius vlcerationem incurrebat, quae vel ex continua ambulatione cum refrigerio, vel ex Chirurgi mala cura, lentam minabatur gangraenam.

Aduo-

Aduocatur itaque alius Chirurgus, qui mutationem diaetae, ab hactenus cum florentiſſima aegri ſanitate vſitata et carnibus ſalitis et fumatis, talibusque piſcibus, leguminibus conſtante, ad delicatiorem, iuſcula nempe cerealea, et ex carne recenti parata, ſimiliaque, ſeuere ſuadebat; alias enim conſolidationem vlceris fore impoſſibilem. Obedit aeger, moroſe licet, et cum res nihilominus mane cederet, quiritat perpetuo, ſe ex nouo mortis genere, nempe ex eupeptis moriturum. Moriebatur etiam ſub his cautelis diaeteticis. Si nunc iudicium aequum de hoc caſu formare licet, dubito quidem, aegrum ſub priſtina diaeta reconualiturum fuiſſe, non quidem vitio diaetae, ſed quia gangraena in partibus ſenum exſanguibus, ex minore influxu, et penetratione ſanguinis nutritii in illas, vitam, per ſenectutem debilem, facile deſtruit: interim per diaetae mutationem mortem eius adfeſtinatam fuiſſe, credere licet; liquor enim gaſtricus, qui per diuturnos annos, alimenta ſolida, fumata, et leguminoſa, cum magna euphoria oeconomiae corporis, ceu validum fermentum, in optimum ſuccum et ſanguinem verterat, et ſimul ex tali victu vires proprias conſeruauerat, nunc ex nouis inſipidis, tenerioribus alimentis obtuſus factus, non alium, quam a natura aegri totum diuerſum, ſemicrudum chylum, parare potuit: hinc autem diuerſum et ſemicrudum ſanguinem, particulis viuidis, volatilibus, elaſticis vacuum, naſci neceſſe fuit: hinc nulla porro affinitas, nulla cohaerentia noui ſanguinis, cum particulis corporis ſolidis, a priſtino ſanguine nutritis; e contrario ſubſequens, vti totius humorum maſſae noua, inconueniensque craſis, ita partium ſolidarum mala nutritio,

labes et fatiſcentia. Magis locum inuenit diaetae qualis cunque mutatio in illis, qui delicatae ſelectiori-que diaetae aſſueti ſunt; quia liquor illorum gaſtricus multiuariis, aequiuocisque cibis eſt aſſuetus: in ſenibus autem vegetis, quamdiu ipſis vigor ſupereſt, nec ipſi, inſtigante natura, ſua ſponte, a diaeta conſueta recedunt, id quod tamen, accedente longaeuitate, ipſi, medicis inconſultis, optimis regulis perpetrant, periculoſa eſt mutatio. Nec animalia quaeuis a conſueta eſca, licet cum meliori commutaueris, remouenda ſunt; ſic equi, gramine tantum, qui paſti ſunt, et inde bene valent, ſi hoc negato, auenam foenumque, ſimul et ſemel, obtuleris, ſucceſſiue aegrotabunt, donec ſanguis illorum, huic nouo chylo aſſueuerit; qualem mutationem adhuc minus ferent equi ſenes.

§. C.

In duas diuiſimus claſſes illos, qui caute et prouide, pro naturae viribus, vitam ſecundum res non naturales rexerunt; et locauimus illos in primam, qui natura debiles, et teneri ſunt, et in ſecundam illos, qui optimum corporis habitum caute et temperanter ſibi conſeruarunt: cum autem reperiamus, naturam in ſuo ſyſtemate vbique gradus obſeruare, et vbique inter extremitates medium tenere, licitum nobis ſit, mediam, tertiam claſſem formare, et in illam reponere iſtos, quibus inter teneros et robuſtos medium habitum dedit natura, et qui ex ſelecto et conueniente regimine, ſi non ad longaeuitatem, tamen ad grandaeuitatem peruenere. Regimen horum hiſtorice deſcribere, vti titulus huius claſſis poſcit, difficile erit, quia quas habemus de grandaeuis et longaeuis relationes, in fidem veritatis accepimus.

mus. Cum autem in illis talis obſeruatio, circa habitus mediocritatem, nullatenus detur, nec nobis licitum erit talem fingere, et hiſtoriae fidem poſcere. Iudicatu interim facillimum eſt, illos medii habitus, medio regimine vbique cauto et prouido vſos fuiſſe.

§. CI.

Peruenimus tandem ad illos, qui *vitae regimen, regulas et cautelas ad longam vitam* neglexerunt, et tamen longaeui facti ſunt. Abſonum, et rei naturae contrarium eſſe videtur, illud negligentia, imo opera contranitente aſſequi, cuius plurimi multo labore participes fieri nequeunt; ſanitatem et vitam, res adeo fragiles, peſſundare, et tamen illis frui in ſeros annos. Interim experientia illud docet. Probabunt hoc, qui longaeui facti ſunt milites: quis enim neſcit vitae illorum regimen irregulariſſimum? premuntur mox inopia victus, imo fame et ſiti, carent rebus, quibus negatis natura dolet, vti id exprimit HORATIVS: mox abundant victu, cibis potuque ad intemperantiam vsque: corporis labores, absque interpolata requie, itinera, ſub aëre maxime iniurioſo, patiuntur, et emetiuntur, et quae ſunt alia grauia vitae incommoda, quibus plurimi ſuccumbunt; dantur interim, qui, perpeſſis his omnibus, feliciter emergunt, et longaeui fiunt. Vt exemplis probetur vitae neglectio, cum inſecuta nihilominus longaeuitate, prodeat iterum miles ille 109 annorum, cuius ſub titulo formae ſenum internae ſupra mentionem fecimus: procidentia ani, et vrinae incontinentia, quibus laborauit, de exitioſis eius laboribus docebunt, et militare vitae genus, quod iam adumbraui, de reliquo vitae regimine teſtabitur.

Vitae genus eleemoſynare, quo ſe poſtea ſuſtentauit, aeque irregulare, quoad diaetam, ſine dubio fuit, quia nullas, ex rebus non naturalibus, admittit cautelas. An ſpiritu vini vſus ſit, non refertur, fatuitas autem eius ſuſpicionem quandam de abundante eius vſu praebet; qui enim oſtiatim eleemoſynas petunt, aliquibus vicibus, per diem, illo donari poſſunt. Potuit autem etiam ex ſenectute in hanc cerebri labem ruere, vti id exempla demonſtrant.

§. CII.

Verum enim vero, non inter huius ſortis homines ſolum dantur, qui ex neceſſitate, neglecto vitae regimine, in longaeuitatem ſeneſcunt; dantur melioris ſortis homines, qui gulae intemperantiam vitae, et longaeuitati praeferunt, et tamen ita, poſthabitis his bonis, praeter intentionem illis fruuntur. Noui enim virum, qui vitae commodis ſufficienter beatus factus erat, quibus temperanter, et decenter vſurpatis, firmiſſimum, quo Creator ipſum donauerat, corporis habitum, procerum, licet non quatratum, in viridem longaeuitatem conſeruaſſet, niſi ad diſſolutum omnibus regulis vitae regimen, ad quod etiam militare, quod gerebat, officium occaſionem praebebat, maior ipſi propendiſſet amor, quam ad ſanitatem et longaeuitatem, idque tanto propenſius, cum robor perenne corporis, ex malo regimine non labefactari ſentiret. Inter reliquos enim errores potui ſpiritus frumenti ſe tradebat, deſtruebat autem huius abuſu ſenſim, ſenſimque, non ſolum, ventriculi facultatem appetendi, et cibos digerendi, adeo vt tandem grandaeuus factus, nil niſi panem et pulmenta quaedam ferre poſſet, ſed et ſanguinis calor et elater,

elater, ita inde diminuebatur, vt ſuſtentandis fibris corporis impar fieret. Pabulum itaque vitae et ſanguinis, vnice ex ſpiritu frumenti haurire neceſſe habebat, adeo, vt vltimis circiter 15 vitae annis, quibus numerum centenarium complebat, praeter panem et tenuiſſimam cereuiſiam, qua ſiccitatem faucium interdum leniebat, non niſi, ex ſpiritu frumenti, cuius ad ſex fere libras, quotidie non ſorbebat, ſed potabat, exſangue et aridum ſuum corpus viuum ſeruabat. Ex mala itaque conſuetudine, non autem ex naturae inſtinctu, hoc pabulum ipſi neceſſarium redditum erat, quod, ſi anno aetatis octogeſimo forſan ipſi ſubſtractum fuiſſet, haec ſubſtractio ipſum vix per quinque annos adhuc ſuperſtitem eſſe ſiuiſſet: nota enim ſunt exempla, quod, ſi ſubſtrahitur talibus, ſpiritui vini vel frumenti diu aſſuetis, hoc vitae lampadis oleum, mox grauiter aegrotent, et moriantur. Vires ad equitandum ipſi ad annos nonaginta reſtiterant, reliquos autem pedes, et quiete tranſigebat. Quid? ſi hic fortunatae ſuae conſtitutionis indignus, vitae prodigus, ſobrietatis fuiſſet amans, annon *Czartanum* annis tandem ſuperaſſet? Huic vitae et longaeuitatis incurio longaeuo, addam alium magnae opulentiae virum ſeptuagenarium, regiminis ſpirituoſi amantiſſimum. Obeſior licet, vitae lampadem ad tot annos lucidam ſeruare, absque ſpiritu frumenti, vel nolebat, vel non poterat: conſueuerat illum, ad grandaeuitatis initium, frigidum, pro more, potare, ſed nunc inde non ſatis calefieri ſentiebat interiora corporis et ſanguinem, ideo illum calefactum bibebat, ad tres circiter libras per diem. Verum nec haec methodus vltra quatuor annos ſufficiebat, quum frigidae mor-

ais falce, quod habebat adhuc ſpiritus vitalis reliquum, praeſcindebatur.

§. CIII.

Mutuemur recentiſſimum parallelum, priora ſuperans, exemplum ex nouellis publicis, anni 1759. Menſ. Ianuar. Februar. Obiiſſe, in illis dicitur, in Gallia, in Gaſconiae pago de la Barthe de Riuiere, in Dioeceſi Comminges, Chirurgum, nomine Eſpagno, centum duodecim annorum, longaeuum, quotidie ebrium, qui officio ſuo ad vltimum vitae diem praefuit; nunquam antea aegrotans, ſanus absque vſu venaeſectionis et medicinae. Non additur, ex quo potus genere ſibi ebrietatem comparauerit: cum autem faciliori opera ex ſpiritu vini, quam ex vino producitur temulentia, ex illo creditur hanc ſibi comparaſſe. Recordor, ante plures annos, me legiſſe libellum, encomium ebrietatis dictum, gallice conſcriptum, ſub titulo: l' Eloge de l' yvreſſe, in quo, quantum memini, res, ab ebriis praeclare geſtae, recenſebantur. Verum, quantum pondus cumulatarum laudium ebrietati deberetur, ſi ad vitam longam nos duceret, et officiis ſimul cum debita prudentia vacare ſineret; de quo quidem iuſte dubitandum. Dolendum ſane, quod defecerit tandem, anno 112mo, lampas vitae hoc nutrimento frui; vel quod, pro hypotheſi, hic vir ſpiritum frumenti mitiorem non biberit. Interim hi caſus duorum longaeuorum ebriorum, quorum alter duodecim annis priorem iam ſuperauit, ſpem faciunt poſteris de prouectiore quadam longaeuitate, ex ſpiritu vini vel frumenti quaeſita, in ſubiectis maiore robore natura donatis; a ſanae mentis hominibus tamen non imitandis.

§. CIV.

§. CIV.

Sat teſtimonii dediſſe puto, his caſibus, de iis, quibus firmiter ſunt ſtructa corporis organa, et ſanguinis maſſa debite et intime eſt mixta, et qui ſub enormi vitae negligentia grandaeuitatem et longaeuitatem nihilominus acquirunt. De vſu potuum ſpirituoſorum hoc ſolum addere placet, quod obſeruatio docuerit, illos, qui ſpiritu vini abutuntur, facilius et citius in corporis varias aegritudines, anorexiam, tuſſim, phthiſin, etc. labi, quam qui ſpiritu frumenti abutuntur; ratio facile inueniri poterit, conſiderando, ſpiritum vini facilius in ſtomacho et ſanguine extricare, quod a vino poſſidet acidi, et olei magis ſubtiliter vrentis, quam ſpiritum frumenti, cuius particulae magis pingues a frumento euehuntur, quae ſanguinem minus exagitant, nec in fibras corporis adeo impetuoſe agunt. Potus certe ſpirituoſi abuſus omnis noxius eſt ſanitati et vitae, licet longaeuus noſter centenarius, vltimis annis, vitae ſuae filum vnice ex ſpiritu frumenti nexerit. Flebile reuera adiumentum, ipſi oeconomiae animali repugnans, nec, niſi violenter corporis organa in actionibus ſuis conſeruans, magnetiſmi et machinarum inſtar, vi impetuoſa, ad motum actarum; haecque omnia cum hominis eo certiore interitu, et cum interiectis multis moleſtiis, quicquid praecedens §. in contrarium dixerit.

§. CV.

Modeſtus, e contra, eius vſus corpori ſenili innoxius eſt, quod ventriculi ſegnem liquorem gaſtricum animet, et cum cibis ſuper ingeſtis confermentet, et ſimul potui, quem ſenes ex naturae inſtinctu amant, quo ſanguis fluidior per viſcera vehatur, ſe ſociet,

et quodammodo ſuam naturam communicet. Interim et illo carere poſſe credimus, et videmus; etenim grandaeuus ille, quem antea narraui frigidam braſſicam muriaticam, etc. ediſſe, a potu ſpirituoſo abſtinebat; nec Lappo ille centenarius, ob egenam patriae frugalitatem, illo vſus eſt, nec nouit forſan ſpiritum frumenti; vt adeo appareat, virtutem ad longaeuitatem ſaepe in longaeuis vigere absque ſpiritus eiusmodi adminiculo.

§. CVI.

Inter plebeios et vilioris conditionis homines reperiri plures longaeuos, ſupra monui, ex quo ſuſpicio naſci poſſet non incongrua, hoc ideo contingere, quod ſint plebeii multo numero plures prae melioris conditionis hominibus. Verum, licet hoc ita ſit, certe plebeiorum victus ſimplicitas, veſtitus leuis, labores, animus ſua ſorte contentus, patiens toleratae per interualla iniuriae ſunt, quae connatum corporis robur firmant, fibras corporis indurant, et ſanguinis circulum nunc peripheriam corporis penetrare, nunc ex illa recedere faciunt, absque debitae tranſpirationis diſpendio, multo minus aliarum excretionum ad ſanitatem et vitam neceſſariarum. Talia ſunt, quae in plebe plures longaeuos numerare faciunt, et non ſimpliciter maior numerus. Tale vitae regimen certe ditioribus delicatulis non arridet, licet magis inhient longaeuitati, ob vitae commoda, quibus plus fruuntur, quam plebeii, qui absque curis eo directis, imo ſub ipſa vitae negligentia longaeui fiunt. Opulentis itaque vnice conſcribuntur Gerocomicorum volumina, his, quid edant, bibant, quo in loco habitent, commendatur, his, quid

dietim,

dietim, quid horarie agant, praecepta dat RANCHINVS.

§. CVII.

Reſtant adhuc quaedam circa vſum ſpiritus vini monere praetergreſſa. Primo, quod ſenes, niſi ſibi circa illum caueant, non ſolum facilius, quam iuuenes inebrientur, ſed et magis proni ad ſtudium ebrietatis prolabantur: neruorum enim ſyſtemati et principio blanda illa oſcillatio, quam ſpiritus vini, exagitando ſpirituoſum illud neruorum, in ventriculi neruis excitat, facilius cerebro communicatur, ob eorundem neruorum cum cerebro acquiſitam ſoliditatem, et ex hac ad oſcillationis maiorem aptitudinem, quam mox remiſſio illa placida ſyſtematis neruorum ad ſomnum inſequitur. Inuitantur autem ſenes ad ſtudium ebrietatis, communiter vigiliarum et moroſitatis ſenilis cauſa, quae duo incommoda ſomno placido, omnium curarum et moleſtiarum ſepulchro, ſaepius ſepelire ſtudent. Inſequitur hinc mala conſuetudo potu tali ſaepius vtendi, et ebrietatem amandi. Exoritur autem ſecundo, ex habitu tali inebriatiuo, aliud calamitoſum interdum, reuera in ſenibus ebriis ſaepius, quam in iuuenibus ebriis obſeruabile, nempe autocheiria. Non adeo infrequentes ſunt iſti caſus, inprimis, ſi a vitae moleſtiis variis ſimul vexentur, et ſint natura rixoſi et impatientes, tunc absque rei examine, et ex mentis inebriatae impotentia, ſuſpendio, alioue ſpontaneo modo, vitam finiunt.

§. CVIII.

Incidit ſub ipſa clauſula huius capitis *annorum climacte ricorum* recordatio, quorum in ſenectutis perluſtratione iniuſtum foret non meminiſſe, vti, de

illis multum diſſerere, inutile. Reformitantur hi anni a multis ſenibus, licet illos omnis malignitatis et periculi inanes eſſe, quam ſaepiſſime, innumeris exemplis obſeruauerint, et quod, qui mortui ſunt in climactericis ſenes, caſu, et ex natura ſui corporis obierint, non ex natura numeri climacterici anni, facile iudicare potuerint. Duos magnos numerant in ſenio annos climactericos formidabiles, primum, qui componitur ex concurſu ſeptenarii, et nonarii numeri, nempe annum aetatis ſexageſimum tertium: ſecundum, qui ex numero dupliciter nonario exſurgit, et annos octoginta et vnum componit. In numerorum certa diſpoſitione, et concurſu aliquid vaticinii, et ſontici latere, ſunt quidem, qui credunt, Myſtici: pro mea autem ſententia illis nihil tribuo.

CAPVT II.

De morbis ſenilibus, eorumque curatione.

§. I.

Ipſam ſenectutem morbum eſſe, commune eſt dicterium. Late autem ita ſumtum eſſe morbi vocabulum mox apparet, et ſic per illud indicari vire vitae deficientes, eiusque paulo moleſtiorem, quan in annis praegreſſis oeconomiam. Nos, rhetoricar ſeponentes, veros ſenum affectus perſpiciemus, qu nempe fractam ex ſenio vitae oeconomiam mag frangere ſolent, et vel viſcerum, vel ſanguinis ſpe ciali labe eius plenarium interitum minantur. Ex titerint licet, et exiſtant adhuc hodie grandaeui, im

longa

longaeui, viribus animi, et corporis valentes; attamen computum cum illis faciendo, quibus haec deficit felicitas, illorum vix perexiguus comparandus exſurget numerus. Docet abunde illa in praefatione allegata ſolennis ſenum autocheiria, quantis incommodis ſenectus communiter prematur. Rariſſimi ſunt illi ſenes, quibus non concuſſerit aetas, ſecundum Senecam, mentem, et ſui aedificii putridas partes. Gaudeant illi, quibus haec ſalua in ſeris annis manſere. Certe omnes adminimum ſentiunt defectum priſtini vigoris ad motum, et ad reſpirationem.

§. II.

Conſideranda autem venit et hic, illa noſtra ſenii in tria ſtadia facta diuiſio. Certe numerus morborum in primo ſenii ſtadio, et in initio ſecundi, grandaeuitatis nempe, maior ſe ſiſtet, quam in reliquis grandaeuitatis annis, et in longaeuitate, tertio ſenii ſtadio. Dantur ſenes, qui ante primi ſenii ſtadium, et in ipſo hoc ſtadio, haemorrhoidibus fluentibus, calculo et podagra laborarunt, ab his malis autem partim medicina, partim bono regimine, et absque medicinae concurſu leuati, grandaeuitatis ſtadium, absque his incommodis, et optime valentes abſoluerunt, non alio beneficio, quam ex parcitate et minore copia humorum, et primariorum corporis colatoriorum ſuperſtite immunitate.

§. III.

Morbos ſenum enumerando, ordinem a nobilitate partium capiemus. Pertractabimus nempe, primo *morbos capitis*, ſecundo *thoracis*, tertio *infimi ventris*, et vltimo *morbos artuum et ſuperficiei corporis*, non multum de Pathologia ampla, pro euitanda

tanda prolixitate, tanto magis autem de Therapia conciſa morborum tractandorum ſolliciti.

§. IV.

Ad morbos capitis recenſendi veniunt primo, *vitia ſenſuum externorum*, viſus et auditus. Moleſtiſſimi hi ſunt affectus ſeniles, primario ille, qui afficit *viſum*; animum enim perpetuo moerore lacerat, vitam autem nec frangit directe, nec deſtruit, quam tamen alio morbo finiri optant ſenes, vt moeroris, quem ex viſu imminuto, vel deperdito perpetuo hauriunt, optatus fiat finis.

§. V.

Producimus ex affectibus viſus, primo eius *priuationem totalem*, tam ex *gutta ſerena*, quam ex *cataracta*. Prior non adeo familiaris eſt ſenibus, quam poſterior; ſi accidit tamen prior, ſponte ſua, nec violentia vel caſu (id quod tamen ſemel accidiſſe in viro obſeruaui) prodromus communiter eſt apoplexiae in ſenibus. Non immorabimur eius recenſioni vlteriori, et hoc tanto minus, cum in tali caſu vnice de auertenda apoplexia omnis ſollicitudo verſabitur, deque hac ſub pertractatione Apoplexiae ſermo erit.

§. VI.

Agemus itaque ſolum de viſu, per *cataractam* perdito, nec hic excurrendo in campum pathologicum cataractae, nec in diſſenſus Auctorum circa eius naturam, vel differentias; multo minus in doctrinam de modo cataractam deponendi, ne rebus ſat cognitis paginas repleamus. Id vnice hic monſtremus, quibus ſenibus communiter accidit cataracta, et quid ex cura, per varia medicamenta, ſperandum.

§. VII.

§. VII.

Familiarior eſt *cataracta* ſenibus, habitus laxi, re-
oleti, quam habitus ſtricti, ideo, quod in illis vaſa
omnium organorum ſint magis tenuia et anguſta,
et ex hac proprietate facilius obſtructiones patian-
ur, quam in illis, qui vaſis gaudent magis amplis;
inc fit, quod in prioribus humor cryſtallinus faci-
ius pelluciditatem amittat, eoque ipſo coecitatem
x cataracta inducat. Cum initio obſcurationis
iſus ſenes de coecitate inſecutura iuſte anxii et ſol-
iciti ſunt, varia a medicis commendata in vſum tra-
ere ſolent, ſed communiter fruſtra.

§. VIII.

Primarium, quod a quibusdam commendatur re-
edium, eſt *ſaliuatio per mercurium.* Non licet
uidem illorum experientiae temere contradicere,
cebit tamen etiam mea, circa hoc remedium, ob-
ruata adponere. Proni vti ſunt coeci miſeri,
mnia patienter, ad recuperationem viſus, patiendi,
a communiter Medicos de feſtinanda cura omni-
odo ſollicitant, et laceſſunt, nec ipſi interdum
ant, nec ſibi ſumunt ſufficiens tempus, vires, hu-
ores, an facile mobiles ſint a mercurio, an caco-
ymia quadam laborent, etc. explorandi; hinc fit,
ſaliuatio, vel vehementer, vel laborioſe procedat,
uces et glandulae, in ſenibus induratae, nimis ro-
antur, quo ſanguinem ex mercurio aeſtuantem,
m lympha fundant, vt inde vitae ſaepius naſcatur
riculum. Euenit hoc aliquando in viro 64 an-
rum, qui cum et Medicum et Chirurgum vrgeret,
ipſi humorem cryſtallinum dextri oculi, iam per-
cte obſcurum, per ſaliuationem mercurialem rur-
s pellucidum redderent, in tale periculum ſubita-

neum

neum inciderat, ex quo, licet pro tempore eriperetur, nihilominus valetudinarius, paucis elapſis ſeptimanis, febre tertiana intermittente corripiebatur, cum tanta virium deſtructione, vt quarto ſub paroxyſmo vitam finiret, absque vlla antea, circa viſum percepta melioratione. Eodem modo alius ſexagenarius, robuſtior, cataractam perfectam ſaliuatione reſoluere ſatagebat, antequam acus miniſterium admitteret; tanto paratior ad ſaliuationem, quod illa iam olim, in morbo venereo, vſus fuerat; ſed vti ſunt tales experti Heroes, omni periculo ſe ſuperiores credentes, ita iſte, ſub ipſa ſaliuatione, pro voluntate fortiter acta, ſuccumbebat.

§. IX.

Ne autem quis putet, me ſummae imprudentiae caſus ſolum allegare, neceſſe eſt, vt adducam exemplum feminae ſexagenariae, quae cataracta nondum perfecta laborabat, et quo omnimodam coecitatem euitaret, ſe ſaliuationi tradebat, ſed ecce! vix ipſa ſaliuatione finita, perfecta aderat coecitas. Et certe, vix aliter fieri poterat; nam, cum quae ad pelluciditatem humoris cryſtallini faciunt viae ſubtiliſſimae, et humores, qui illum in perfecta pelluciditate ſuſtentant, non obrui debent aliis humoribus inadaequatis, ſed allui tantum ab adaequatis, quam moderatiſſime, vt vaporis ſub forma abſorbeantur; quid in tanto omnium humorum corporis tumultu, qualis in ſaliuatione adeſt, aliter fieri poteſt, quam plenaria obſtructio meatuum, ad humorem cryſtallinum ducentium: ne dicam, de iuſte praeſumenda impoſſibilitate reſolutionis cataractae iam perfectae, per ſaliuationem. Sane, ſi quid eſt in medicina virium ad cataractae plenariam exareſcentiam inhibendam

bendam, ſubtiliſſimis et blandiſſimis, nec maſſam ſanguineam exaeſtuantibus auxiliis, qualia praebet ſaliuatio, id tentetur; nempe oleis penetrantiſſimis, et ſimul blandiſſimis deſtillatis, e. g. aniſi, foenicu-li, vel quod omnia ſuperat, croci, ad guttas X. vel XII. mane et veſperi in fruſtulo ſacchari, cui, poſt tardam reſolutionem in ore deglutito, ſcutella infuſi ligni Saſſafras vel Thee, ſuperbibatur; interpoſitis errhinis ſternutatoriis, et excluſo omni capitis, in-primis faciei, refrigerio.

§. X.

Conueniunt certe errhina ſternutatoria, eaque interdum fortiora, ſaepius autem mitiora, ſimul ta-men roborantia. Inter poſteriora non ſatis laudari poteſt cubebarum puluis, absque alio additamento adhibitus. Laudem, quam a multis Medicis ob vir-tutes ſingulares meruerunt cubebae, hic ob virtutem, quam ceu ſternutatorium poſſident, augere neceſſe eſt: nam puluis illarum, naribus attractus, non ſo-lum blanda ſternutatione magnam quantitatem mu-ci per nares educit, ſed poſt hanc euacuationem, neruos viſus, imo cerebrum roborat, id quod a re-liquis ſternutatoriis fruſtra exſpectatur; aromaticus enim illarum volatilis halitus vbique penetrat, et quod ex illo penetrat, confortat: haec autem pro-prietas, ſternutatorio iuncta, in obſcuratione viſus, ex imminente cataracta, aliquem vſum habere pot-eſt. Sexagenaria quaedam de viſus obſcuritate que-rebatur, pupilla vtraque apparente paululum turbi-da; ſuadebam puluerem cubebarum, naribus attra-hendum, ſed recuſabat, quia nunquam conſueuerat puluerem aliquem tabaci naribus haurire; malebat veſicatoria, imo ſcarificationes ſcapulis ſibi applica-

ri,

ri, et medicinas purgantes ſumere. His per tres ſeptimanas adhibitis, optatum effectum fruſtra exſpectabat; puluerem itaque cubebarum pro errhino ſternutatorio adhibet, et ecce! vix quatriduo elapſo, acies viſus confortata redit.

§. XI.

Recordor equidem caſus in *Ephemer. Acad. Leop. Carol. Cent. I. Obſ. 7.* dati, quod grandaeuus quidam viſus aciem vſu pulueris nicotianae ſibi conſeruauerit, et dantur ſenes, inprimis mulieres (quibus vitia oculorum frequentiora veniunt, quam viris) quae nicotianae hanc virtutem tribuunt, vt adeo cubebis ſolis haec gloria non competat: verum fructuoſior audiet vſus pulueris cubebarum, vbi eius vſus inualebit. Sunt quidem, qui ob plethoricam capitis ſucculentiam, vel ob aroma cubebarum ſingularis naturae, vel ex praeiudicio illas non ferunt, et magis ſtimulante ſalino puluere tabaci delectantur; interim, ſunt etiam, qui huius acredinem, neruos violentius vellicantem, non ferunt, ſed ſimulac illum naribus attraxerunt, vel vertiginem, vel conatus vomendi ſentiunt. Noui grandaeuum, longaeuitati proximum, qui non ſolum ob viſus vigorem conſeruandum, ſed ſimul ob capitis et pectoris a muco liberationem, mane, et qualibet nocte ex puluere liliorum conuallium ſe ſternutare facit, et magnum inde ſibi parat beneficium.

§. XII.

Dictis itaque oleis blandiſſimis, et ſternutatorio blando roboranti, ſubiungatur camphora, mane et veſperi ad aliquot grana exhibenda: praeterea oculi cantho illinatur, ſemel vel bis de die guttula pinguedinis viperarum, vel aſciae piſcis tenuioris, quia

vngui-

vnguinoſa talia ſubtilia, intime per oculum penetrare rationi conſentaneum eſt, praetereaque vitiis tunicae corneae, quae ſenibus obrepunt, e. g. corrugatio, imminutio, obſcuratio, vtut leuibus, et vix viſibilibus occurrere valent: hinc legimus in iamiam allegatis Act. Acad. Nat. Curioſ. Vol. II. pag. 451. ſenem viſus debilitatem illinitione ceruminis aurium, acris et natura ſubtilis, ſuſtuliſſe, quod maxime in tunica cornea effectum ſuum exeruiſſe credibile eſt, cui non ſolum robur, ſed quod notandum, priſtinam reddidit ſimul figuram, quia virum a perſpicillorum vſu vacare fecit. Iungenda his omnibus ſollicita capitis, iam commendata coopertio, et eiusdem mane et veſperi facta frictio et pectinatio, quo aucta capitis tranſpiratione, affectui metuendo, remote etiam, obuiam eatur. Non abs re etiam eſt, ad ſcopum tam reſolutionis humoris alieni, quam roborandi fine, expoſitio oculorum palpebris tectorum, radiis ſolaribus; mira enim ineſt vis aetheri ſolari, tam ad reſoluendum, quam ad confortandum. Memorabile itaque eſt, quod in Eph. Nat. Cur. D. III. A. III. Append. p. 110. refertur, paralyſin palpebrarum a calore ſolis forti ad tempus ſublatam fuiſſe, a calore fornacis non item. (Liceat mihi allegare puerum ſexennem, cui a variolis tendines crurum contracti erant, qui per multam apricationem, in monte arenoſo, paucorum dierum ſpatio, remoto baculo, ambulandi potentiam ſibi acquirebat.) His diligenter adhibitis, ſi fiens non diſſipatur cataracta, perfecta acus miniſterio erit tollenda, quod, vt feliciter ſuccedat, non ſolum ipſius cataractae conſiſtentia et pupillae mobilitas, ſed et reliqua oculi et aegri conſtitutio perpendenda

da erunt. Licebit etiam, pro re nata, hodierna tentamina cataractam nondum perfectam tollendi, ſequi.

§. XIII.

Omnibus recte perpenſis et peractis, dubius tamen erit ſucceſſus et euentus operationis, ſi aeger ſenex laborat cephalalgia, imo vnice, ſi ſuccis abundat circa caput et oculos, nam licet deprimatur apte et feliciter cataracta, ipſa acus punctura per tunicam albugineam inflammationem parere ſolet difficulter diſcutiendam, idque tanto certius, ſi valde infarctas, ex ſenio, habet ſanguine venas haec tunica; hanc inflammationem communiter ſequitur cephalalgia, niſi illa iam adeſt, moeroris augmentum, anorexia, proſtratio virium, et ſucceſſiue mors. In macilentis autem ſubiectis, quae adeo molles, irritatibiles et ſucculentas fibras circa caput non habent, res vt plurimum felicius ſuccedit, modo cataracta et pupilla debita habeant requiſita, puncturam minor ſequitur humorum affluxus, inflammatio inde minor, et viſus reſtitutus ſaluus manet, quantum a depoſitione cataractae reſtitui poteſt. Leuior, vel nulla poſt cataractam depoſitam oculi inflammatio, bona res eſt, grauior autem ſpem videndi minuit. Haec de plenaria coecitate.

§. XIV.

Hebeſcit autem ſaepe viſus in ſenibus variis modis, ex inflammatione, epiphora, humorum deſiccatione, retinae vitio vario, eius leui atonia, vaſorum turgeſcentia ipſius tunicae albugineae rugis, corneae ſiccitate, obſcuratione, etc. Vt breuibus moneam, quae primaria ſunt contra haec viſus mala, auxilia, in *inflammatione* et *epiphora* valebunt purgationes

per

per epicraſin, venaeſectiones, repetitae pro renata, ſcarificationes in ſuperciliis, et in temporibus, lotio faciei cum ſapone ante ſomnum, et ſuperciliorum cum ſapone, in ſpiritu vini camphorato ſoluto, cum inſequente capitis frictione: valebit ſeri per veſicatoria temporibus applicata, euacuatio: proderunt fotus, nunc ſicci vaporoſi, ex ſpeciebus lenibus non morſicantibus, prunis iniiciendis, nunc humidi vaporoſi, ex herbis emollientibus, cum aceto parati, oculis admiſſi, quibus etiam dolor, ſi forte adiunctus eſt, ſopitur. Fortiore, ſi opus eſt ſopiente, veterum ſief, cum opio in aqua ſolani, ſolutum leuamen dabit. FLOYERVS commendat vrinam, in propriis oculis expertam, in rubore oculorum.

§. XV.

Vbi autem viſus aciei diminutio ex ipſius oculi humorum deſiccatione, vel macie oritur, inprimis cum hectica quadam totius corporis conſumtione, ibi, vti haec, debitis remediis internis humectantibus, et cauſam huius febrilis conſumtionis ferientibus pellenda; ita oculis fotus humidi tepidi, ex miſcela ſpecierum emollientium et roborantium admouendi, e. g. ex malua, bismalua, meliloto, flor. verbaſci, roſis, euphragia, etc. nunc cum vino oligophoro, vel cum aceto lymphato, nunc cum lacte et mucilaginibus.

§. XVI.

Retinae praeſumtam, aut ſuſpicatam, *atoniam*, camphora diligenter maſticata, oleum aniſi, foeniculi, croci mane et veſperi ſumtum, nec non externus horum oleorum in vertice et nucha adhibitus vſus leuabit: caput a refrigerio caueatur, et cubebarum puluis frequenti ſit in vſu, pro errhino ſcili-

cet; addita, ſi placet radice valerianae, quae ipſa etiam non inutiliter, vna cum cubebis maſticabitur. Cum autem *vaſorum retinae turgeſcentia*, et inde eius tonus auctus ex calore interno iudicabitur, praeter ſanguinis varias euacuationes, etiam apophlegmatizantia per os et nares adhibeantur. Iudicantur autem haec incommoda ex ſenſibilitate oculorum a luce, abſente inflammatione externa, idque magis ſole ſplendente, et oculi internum dolorem augente. Ex hoc oritur, quod multi ſenes ament chartis coeruleſcentibus inſcribere, et in talibus ſcriptas legere literas, quia radii lucis in illis minus reſplendent, quam in albis. In ſenibus ſane ſenſibilitas tunicae retinae maior eſt, quam in infantibus, et iuuenibus, qui rerum reſplendeſcentia impune delectantur.

§. XVII.

Si ipſam *corrugationem retinae* in cauſa imminuti viſus eſſe ſuſpicari licet, ibi auxilii ſufficientis aliquid commendare ardua res eſt; nec aliquid commendare audemus. Sic non minoris momenti eſt, *corneae tunicae exareſcentiam* impedire velle; tentanda interim ſunt auxilia, quae in ipſius oculi humorum deſiccatione iamiam commendata ſunt. Confidentius commendamus in *tunicae corneae ſuperficiei obſcuritate*, ex craſſo eius nutrimento nata, piſcium pinguedines, ſolis radiis in oleum deliquatas, vel ſolas, vel cum pauxillo zinziberis pulueriſati ante deliquationem mixtas: huius ita paratae pinguedinis guttula vna, vel altera, cubitum eundo, corneae ipſi, vel tantum oculi cantho maiori, illita, eius pelluciditatem, ſucceſſiue, ad obiectorum meliorem diſtinctionem reuocabit. Notandum interim

illam

illam zinziberatam pinguedinem, ibi tandum valere, vbi albuginea non eſt inflammata.

§. XVIII.

Quando autem *Trichiaſis*, i. e. palpebrarum pili inuerſi, corneam lacerant, ibi quantocyus illorum euulſione opus eſt, et quidem cum inſequente cauteriſatione, mediante bono lapide infernali, in ipſis locis, vbi pili euulſi ſunt, quo noua illorum ſuccretio impediatur: quae methodus reciſione marginis palpebrarum melior eſt. *In viſus ſenilis debilitate, ex neruorum, ſpeciatim optici, leui atonia*, venam ſecare non licet, terret enim Obſ. 144. Dec. II. Anni V. Ephem. Nat. Cur. Concordat etiam experientia, ſecundum quam nimias haemorrhagias, inprimis in feminis, viſum debilitari videmus.

§. XIX.

Antequam viſus ſenilis vitia deſeram, de terrifico illo phoenomeno, telas aranearum formante, cuius ſupra mentionem feci, ſi non, vt dixi, ſolatii ergo, certe doctrinae cauſa, quae in me ipſo expertus ſum, addere fas erit. Naſcebantur mihi iuueni annorum 22, saepiſſime tuſſi catharali obnoxio, primo, nigerrima puncta ante oculos, quos Natura mihi dedit, caeſios; mox circuli quidam accedebant gryſei, quibus ſenſim ſuccedebant aranearum telae, et fugax quaedam nebula viſum turbans; tandem obiecta ſecundum longitudinem ſeu perpendiculariter oculis oppoſita, duplicia mihi apparebant, maiora, e. g. truncus arboris ad diſtantiam 10 vel plurium paſſuum, minora, e. g. calamus, ad vnius vel plurium pedum. Lunam falcatam, quoad corpus, duplicem video, cuſpides autem eius quadruplices imo multiplices mihi apparent. Per teleſcopium omnia re-

cte video. Perſpicilla oculos dolere faciunt, ſine dubio, quia pupilla ſub his coarctatur, radus ſimul multiplicatis: ſub teleſcopio autem pupilla dilatatur: dilatatur etiam conniuentibus oculis, ſub quibus etiam obiecta apparent ſimplicia, non duplicia. Fax ardens, longa diſtans, rotam magnam igneam mihi format. Cum conniueo oculos, ſimul per ſubtiliſſimum textum telarum video, maxime contra lucem, vel cantelam ardentem. Telae iſtae aranearum volitantes, in ſenio multum auctae, et complicatae, aſcendunt, cum obiectum, in altum poſitum, oculis peto, deſcendunt autem pedetentim, manente oculo in altum defixo. Puncta iſta nigra, quae dixi, in ſenio mihi rariſſime obuiam venere, horam loco autem flammulae quaedam, rarius tamen, ante oculos obuolitarunt. Interim abhinc elapſis nunc 51 annis, tanta, per D. gratiam, gaudeo viſus acie, vt absque perſpicilli ope, per telarum conglomeratarum perpetuos ſaltus, tam ad diem, quam ad vnicam candelam (non ferunt enim oculi plurium, nec ſolis ſplendorem) interdum, voluptatis hiſtoricae capiendae cauſa, tabulas geographicas clvverii, editionis Traiectinae ad Rhenum, in forma 12ma, non obiter, ad pedis fere diſtantiam, percurram oculis: minoris autem caracteris literas forſan nemo vidit, quam illas ibi reperibiles. Iuueni mihi, anxie vbique auxilium petenti, omnes cataractam futuram declarabant. Ienae 1707 verſanti, b. m. g. w. wedelivs vſum externum adipis viperinae Italicae genuinae, Herniariae herbae internum, et ſetaceum in nucha ſuaſit. Obediui in omnibus, ſed fruſtra. Fruſtranea fuerunt Medicorum oculariorum in Batauia et Anglia, medicamenta et conſilia. Pariſiis

woolhv-

WOOLHVSIVS arteriae temporalis cum ferro candente amputationem, ob certiſſime, alias, aduenturam cataractam ſuaſit; magnam autem differentiam huius remedii a ſetaceo perpendens, non arriſi huic conſilio. CHIRACIVS t. t. adhuc Ducis Aurelienſis medicus, et ſimul ophthalmiatriae clarus, duplicatorum obiectorum cauſam in axis lentis remotione haerere putabat. Nihil ita fructuum, ex conſilio aliorum capiens, ipſe oleo aniſi tempora et ſupercilia, leuiter inunxi, oculos contra aërem frigidum muniui, a lectione fatigatos, per quadrantem horae clauſos tenui, tuſſes irruentes modico opii compeſcui, quin felicius granulo camphorae comeſtae, quia ex opii non bene determinata doſi ſtuporem leuem ſenſuum, et telarum augmentum obſeruaui, camphoram autem et oculis robur quoddam largiri firmiter credidi. Forſan congeries talium accurate depictarum, huius affectus, hiſtoriarum, tandem litem de eius cauſa feliciter dirimet. Conf. Tentam. Edimburg. Tom. V. ni fallor. Interim licet data haec hiſtoria, iuuenis, cui haec viſus paſſio inſurgit, animum erigere poſſit, paulo minus id valebit in ſene ſexagenarius quidam, militum Dux generalis, queritur de telis et muſcis oculos obuolitantibus, et obiecta ipſi duplicia apparent: licet viſus ipſi minuatur, tamen ſolis ſplendor ipſi valde moleſtus eſt: facis ardentis flamma capitis leonini ſimulacrum euadit, et poſt triennium completa ipſi formatur cataracta, quae acus ope ipſi quidem deponitur, ſed infauſto cum ſucceſſu, ſequitur enim grauis oculi dolor, et pedetentim mors. Alius ſeptuagenarius, diu a vertigine vexatus, ante oculum ſiniſtrum telas aranearum et muſcas ſibi obuolitare putat, et inter-

dum vmbram, quaſi a latere oculi recedere. Anno inſequente ſubito affectu quodam apoplectico afficitur, et eodem die obiecta ipſi apparent duplicia; die inſequente, cum ex affectu apoplectico melius haberet, omnia haec phoenomena duplicia, cum telis, etc. diſparuere, ſucceſſiue vero rediere. Qualis tandem fuerit huius affectus exitus, ob abitum viri reſcire non potui.

§. XX.

Quae circa *auditum* ſenibus obtingunt mala, tanti quidem momenti non ſunt, cum vel alta voce locuta intelligant, vel, ſi plane ſurdi ſunt facti, literis mediantibus, vel alia methodo aliorum ſenſum capere poſſunt: interim res moleſtia non caret. Naſcitur ſurditas, vel ex *retento et obdurato cerumine aurium*, vel ex *vitio tympani et oſſium auditus*, vel etiam *ipſius nerui acuſtici*. Prius cognoſcitur facile ex eo, quod aeger parcitatem ceruminis ſucceſſiue obſeruauerit, vel quod ex propria negligentia, copiam eius ſecretam non euacuauerit. Si parcitatem fieri obſeruat ſenex, id quod in multis, ob ſecretionum omnium languorem, contingit, non ſolum modeſta expurgatione abſtergendus eſt meatus auditorius, ſed et ipſi interdum linteum carptum, oleo amygdalarum imbutum, immittendum, vt emolliantur pori glandularum excretorii. Quod ſi autem retentum eſſe in vicinia tympani exiſtimat, et inquirens cerumen ibi reperit, oleum ouorum, cui parum ſaponis nigri, cum pinguedine balaenarum parati, vel boni alecantini cum ſemigranulo camphorae animati, mixtum, auri calide inſtillari faciat, et ſic mediante linteo carpto aurem expurget, huncque modum per dies aliquot repetat, donec auditum ſibi melio-

meliorem eſſe ſentiat, et poſtea diligentius aures ſuas curet, ne vti in Collect. Vratisl. memoratur, a circumforaneo, decem thalerorum pretio, aures purgare diſcere cogatur. Quod cerumen magna medicina ocularia ſit vidimus in §. XII.

§. XXI.

Quod ſi vero ex *vitio tympani* vel *oſſiculorum auditus* vario modo affectorum, ſurditas, vel ſubſurditas facta aeſtimatur, quae aeſtimatio multum circa fruſtranea opera circa reliquas indicationes pendere debet, tunc reparatio auditus maioris eſt difficultatis. Si enim corrugatio, vel aridura tympani, ſeu tendinum oſſium auditus facta, etc. quis medelam ſpondebit? Atonia equidem ſimplex tympani, quam hariolari ex habitu corporis, ex praegreſſis fluxibus catharralibus, et ex inani cura ſurditatis pro indicationibus aliis, licebit, non deſperare iubet de ſurditate, inde nata, pellenda. Valet enim contra atoniam tympani multum oleum ſuccini album, ad guttas duas, alterna luce, auri immiſſum, nec non vertici, mane et cubitum eundo, ad plures guttas illitum. Antequam autem oleum hoc vertici illinitur, plana quaſi via, ad intimiorem penetrationem, ipſi paretur, per quotidianam inunctionem, ſaponis nigri, prae aliis ſaponibus, ob piſcis teneriorem pinguedinem cum alculi maritatam, in tali paſſu commendandi: cui vel ſoli de bono effectu confidere licebit, cum Obſ. 146. A. V. Dec. III. Ephem. N. Cur. talem virtutem de butyro maiali, vertici et temporibus illito in auditu difficili ſenili, praedicet. Quae autem cruditas, et minor penetratio butyri prae hoc ſapone! Multum valebit etiam guttula

vnica olei ſuccini, ſali volatili cuidam maritati l'eau de Lyce appellati, goſſipio excepti.

§. XXII.

Nec ſoli oleo ſuccini ineſt vis elaterem donand tympano nouum. Succedunt ipſi efficaciter caſto reum, camphora, crocus et balſamus Peruuianus ge nuinus, nec non oleum aniſi et croci (quod vltimum omnium ſubtiliſſimum) goſſypio auri indita. Ne omitti debent fomenta, vel vaporoſo-humida ex pa ne, cum aniſo, foenic. bacc. lauri, rad. valer. angel cubebis, etc. piſto et cocto, et auri ſub calore tole rabili applicato; vel ſicca, ex fumo ſuccini, caſto rei, maſtiches, etc. mediante infundibulo admiſſa Si nerui acuſtici relaxatio in cauſa eſſe videtur, ex profundiſſima ſurditate aeſtimanda, nec non ex ab ſentia aliarum notatarum, et ſuſpicione agnitarum cauſarum, tunc quidem ipſa antecedentia commen data remedia vſum ſuum habent, adhibenda autem ſimul ſunt ſternutatoria ex cubebis, vel aliis, modo ſimul neruinis, vſualibus, quae neruorum ſyſtema excitent et huius nerui tonum reparent. Caput in primis, vti in omni obauditione et ſurditate, ita ma xime in hac ſpecie contra frigus bene tegendum.

§. XXIII.

Recenſetur in Ephem. Nat. Cur. D. III. A. VII. Obſ. 337. remedium contra ſurditatem ſenilem, quod malum ipſum malignitate multis paraſangis ſuperat. Fuit nempe in ſeptuagenario ſurditas vnius auris, quae auditum recepit, ex perfecta paralyſi eiusdem lateris; quam ſurditatem ex nerui acuſtici relaxatione fuiſſe pro certo habeo, conſiderans, poſt omnimodam neruorum eiusdem lateris relaxatio nem, neruo acuſtico redditum fuiſſe tonum; vti

ſaepe

ſaepe vna parte relaxata, altera tono maiore, imo ſpaſmo afficitur,

§. XXIV.

Obrepit ſaepe ſenes *tinnitus aurium*, qui, ſi grauior eſt, et ſaepe recurrens, vel vertigine iunctus, periculum Apoplexiae minatur. Periculo obuiam itur, externe vertici, nuchae et ſpinae dorſi illinendo olea deſtillata, e. g. galbani, anthos, lauendulae, ſuccini etc. interne autem camphora exhibita, calam. arom. cubeb. ol. aniſi, liqu. C. C. ſuccin. Sp. C. C. et ſimilibus, formula conueniente adhibitis. Si plethora, et ſenis vegetus adeſt ſtatus, venaeſectio celebranda, imo verticis ſcarificatio. Capitis frequenti pectinationi eadem laus manet, in hoc auditus incommodo, quam quae ipſi fuit in viſu debili. Tinnitum aurium neruorum affectum eſſe, non ſolum ſuperueniens interdum in ſenibus Apoplexia docet, ſed et ille hyſtericas lypothymias praecedens tinnitus et ſuſurrus aurium.

§. XXV.

Tinnitui huic aurium, interdum periculoſo, addere placet minus periculoſum, ſpurium grylli-ſonum, ſenes tamen et iuniores interdum terrens, (nullus enim fere, affectus ſenio ſolum proprius eſt, excluſa praegreſſa aetate; ſenilis enim audit, quia ſenibus eſt familiarior). Eſt autem tinnitus ille grylli-ſonus, qui ſtridorem grylli domeſtici imitatur. Duo mihi conqueſti ſunt grandaeui (plures forſan paſſi et non conqueſti ſunt, vel aliis) de hoc tinnitu ſtridorem grylli mentiente; cum autem ſimul de ſiccitate inſolita meatus auditorii conquererentur, facile illis perſuaſi, hunc pſeudogryllum exiſtere in fibrarum aridarum niſu et motitatione, et vt oleo amygd.

amygd. dulc. extergant aures ſuaſi. Interim praeludere videtur hic tinnitus auditus debilitatem, ſeu obauditionem, in ſenibus. Addam autem cum venia lectoris, tres alios caſus, breuiter tamen, quos nuper inter antiquas meas annotationes inueni, de his pſeudogryllis, aurem intraſſe creditis. 1. Ruſtica quaedam gryllum noctu aurem ſuam intraſſe pertinaciter adſeuerabat, et absque ambagibus petebat, vt ipſi ſuturas capitis, pro arte mihi competente, ita ab aliis edocta, reſuerem, gryllum caperem, et ſuturas in priſtinum redderem ſtatum: haec cum mihi riſum vehementem ſoluerent, illa irata abiit, neque ſpatium rationes reddendi mihi dedit. 2. Virgo nobilis, habitus pleni, floridi, rure vrbem petit, queriturque de gryllo, qui noctu, ſub auris ſubito dolore, aurem intrauerat: laborabat autem ſimul faucium quodam tumore. Meatum et remeatum grylli ad ſuturam ſagittalem iam fieri praetendit, et ne in cerebrum penetret, illam a gryllo vt liberem anxie petit: addit a ſternutamento quodam fortius cantillare gryllum. Cum de cerumine aurium quaererem, hoc non amplius ex illo tempore ſecerni dicebat: huius itaque retentam ſecretionem cauſam grylli ſui eſſe dixi, et illam anxiam et incredulam licet, dimiſi, addens conſilium, de olei amygdal. vſu. 3. Femina nobilis, multorum liberorum mater, etiam ruricula (in quorum domibus haec inſecta frequentiora ſunt, quam in vrbibus) ſub dolore hemicranico, gryllum aurem ſibi intraſſe narrat, et liberationem ab hoc hoſpite petit. Pullum ſub ingreſſu fuiſſe dicit, nunc autem adoleuiſſe, forſan mox parituram, et familia ſua caput repleturam. Cum eſſet de reliquo Matrona iudicioſa, cedebat

aliqua-

iquatenus argumentis meis, de impoſſibilitate rei, terim mirabatur, quod nemo alius grylli cantum in re ſua audire poſſit, cum tamen foetus in vtero vaens ab aliis audiri poſſit. Obſtupui ad haec ver-, interrogans, an audiuerit vagientem in vtero etum? audiui, reſpondebat: regeſſi, ſine dubio e ſonus eodem modo te fefellit, quo hodie te au- ſonus fallit, ad haec ſimul ſubridens; tunc illa, ſum tuum iam per aliquot annos euitaui, (famiaris enim mihi erat) diu enim eſt, quod audiui hoc rodigium, ſed ſilui, bene noſcens, me tibi riſui fo-; addidit ſimul, ne numeres hoc inter res plane riſſimas; mulieres enim talia tacent, partim ipſae certae de natura ſonus huius, partim et primario, uod iſtum ſonum pro prodigio praeternaturali terfico, mali ominis, habeant, vti omne inſolitum ontingens, et partim, ne rideantur ab incredulis, et ui ſimilibus. Sed, extra oleas vagor: debuiſſem aec addere ad obſeruationem de Singultu et Vaitu vterinis, inſertam Ephem. Nat. Cur. Vol. X. bſ. 75, et additam. Obſ. 99. Huic feminae tanem crama quoddam concretum ſiccum auriſcalpii pe, quod tamen pro exuuiis grylli ſui laetabunda ertinaciter habuit, excretum eſt. Non optimae dei itaque credo eſſe Obſeru. 39. Ani II. D. II. arrantem, vetulae aurem intraſſe gryllum, ibique ullos generaſſe cum eius interitu. Vide Dec. I. A. V. V. Obſ. 50.

§. XXVI.

Ponderatis ita affectibus, qui ſenſus externos ſeum communiter occupare ſolent, ad illos affectus, ui *ſenſus internos* ſenum afficere ſolent, progrediur, qui vnice fere in memoriae debilitate, et, ſi

vis

vis, in debiliore impreſſione obiectorum, ſeu pha
taſia conſiſtunt. Vti vero haec non adeo anima
uerti poteſt in ſenibus, ita illa tanto magis. Cau
vtriusque maxime recondita eſt in cerebri muta
ſtructura: condenſatur enim per aetatem cerebru
qua condenſatione facile, in aliquibus ſubiectis c
culus lymphae impeditur, vt nunc partibus quibu
dam magis affluat et abundet, nunc illis exund
Quicquid ex remediorum cenſu, inprimis in *mem
riae debilitate*, commendari poteſt, ſunt laxantia
petita, et diuretica, quae lympham ſuperfluam ſa
guini ſubtrahant, et ſimul eius craſin roborent, qu
lia ſunt, aloes, rhabarbarum, et ſi locum habe
fortiora: tinctura antimon. acris, aniſata, tinctu
ſucc. balſam. ſulph. terebinth. aniſ. etc. Prae
haec aromatum vſus hic valet, tam in cibis, qua
in forma medica, maſticatio cubebarum, camphora
aniſi, etc. Porro illinitio ol. ſuccini, aniſi, etc.
vertice, ſeu iuxta ſuturarum cranii ductum. Abſ
neant ſimul ſenes a curis, et laboribus magnis, ta
animi, quam corporis, quibus neruoſum ſyſte
labefactari poſſit: nec abutantur potu ſpirituo
memoriae vera peſte.

§. XXVII.

Cephalalgia, et *Hemicrania* ſaepius laborant
nes, plerumque et ſanguinis detentione circa capi
quae etiam meninges, vel vniuerſaliter, vel partia
ter diſtendit. Interdum autem ſerum acre cra
perioſtium rodit. Non facile ſuaſerim venaeſecti
nem largam, nec in his, nec in aliis affectionib
ſenum, venaeſectionem indicantibus, inprimis
grandaeuis et longauis, licet multi extent caſus,
quibus venaeſectio grandaeuis nil periculi attule

qu

quin bonum ediderit effectum, vti id legitur in Ephem. Nat. Cur. D. III. A. IX. de octogenaria, venaeſectioni adſueta, et in iisdem Cent. III. Obſeru. 14. Terrent nihilominus etiam iſti caſus, qui ſat funeſti in ſenibus fuere: ita Zacutus Luſit. in Praxi med. admir. Lib. III. Obſ. 54. recenſet caſum ſeptuagenarii, in ipſo venaeſectionis actu extincti, Medico fuſtibus et ſtimulis fugato. Act. Erud. Lipſ. 1692, Ramazino referente, recenſent de Nonagenaria pleuritica mox a venaeſectione exſpirata. Ephem. Nat. Cur. D. I. A. IX. Obſ. 166. duas producunt matronas, quarum vna ſexagenaria, poſt venaeſectionem aphona, paralytica et memoria priuata facta. Conf. ibid. D. II. A. I. Obſ. 97. et A. V. Obſ. 140. Alia ſexagenaria ſtatim a venaeſectione in pede fit paralitica, ibid. Obſ. 141. Alia ſeptuagenaria ruit in conuulſiones triduanas, ibid. Obſ. 142. Carl in ſuis *monitis* vel *commentariis medicis*, ita ſentit: iuuenes a praematura venaeſectione ſunt arcendi, non autem octogenarii, cum huic fuerint adſueti. Valeat, cum circumſpectione tamen, et absque audacia. Quidam octogenarius factus, habitus laxi, floridi, bene valens, prophylactica venaeſectione ſex conſuetas vncias ſibi euacuari faciebat; ſentiebat autem eodem die torporem quendam inſolitum, quem aucta in lecto tranſpiratione fugabat: increſcentibus autem pluribus annis, non niſi vncias tres exſilire faciebat. Lege de illo §. LXIX. Cap. I.

§. XXVIII.

Si circulatio ſanguinis ſemper, aequali curſu, omnes corporis partes, absque interpolata mora permearet, talia non euenirent: eueniunt autem, quod vaſa venoſa non ſunt vbique ſanguine repleta, ſed alicubi

alicubi pauco ſanguine, et vapore referta; cum iam ſanguis ex ramo venaeſectae ruit, et ſimul et ſemel euacuatur, tunc non ſolum ſyncope, vti in allegato ſeptuagenario, lethalis, ſed in aliis, ob venarum collabeſcentiam, vel illarum a vaporibus diſtenſionem, notati motus conuulſiui oriuntur: generantur enim ſpaſmi, ſecundum Veteres, vel exinanitione, vel ex repletione. Contigit mihi ipſi aliquando in ſexagenario, cui ſanguis e ſecta vena fluebat, tremores conuulſiuos videre, qui tamen ſubito, dato vino calefacto, euanuere. Non eſt quidem de nihilo aliquid confidere, in hac re, aegri conſuetudini, quae Medicum audacem facere poſſit, in venaeſectione ſenum; circumſpectione interim opus eſt, tanto magis, quia aduerſa talia, etiam in iunioribus contingere poſſunt. Recordor viri vix 40genarii, Galli, venaeſectioni maxime adſueti, cui in pede ſanguinem mittere iubebam, ipſe praeſens, et adſtans; huic, cum ſanguis e vena proſilire inciperet, ſtatim conuulſiones inſurgebant, cum contorſione capitis et oris, vt Chirurgus cogeretur illum e pediluuio protrahere, et in lectum proiicere, in quo mox ad ſe redibat; mentis quidem, in conuulſionibus, totus impos factus non fuerat, quia, cum conuelli inciperet, et ego, in homine venaeſectioni adſueto, hanc ſcenam, verbis ſemi - indignabundis mirarer, haec ipſa mea verba, in conuulſionibus audierat, et de iis ſui compos factus, et rurſus ambulans, ridebat, adſeuerans ſimul, tale quid ipſi nunquam antea contigiſſe. Vtile itaque poſtea, ad tales caſus euitandos, duxi, aegris pro re nata, vel etiam iis, qui praeſeruatiue venaeſectione vti geſtiunt, hauſtulum vini generoſi, ante venaeſectionem praebere, quo aequa-

aequalior vbique fiat circulatio, et tales tragediae, quantum poſſibile, euitentur. Hirudinum applicatio repetita, ad tempora, maxime in Hemicrania, vel ſi Clauus doloroſus adeſt, in ipſo loco dolente, et ſecurior eſt, et aeque valens; nec non ſcarificatio, in temporibus, in vertice, et in ſcapulis. Nec negligenda ſunt purgantia per epicraſin inſtituta, et pediluuia ante noctem, poſt quae immediate largae frictiones pedum inſtituendae ſunt. Spinae dorſi frictio ſaepe repetita, multum etiam valet.

§. XXIX.

Quando cephalalgia non a pertinaci infarctu ſanguinis, in vaſis capitis, et ſpeciatim cerebri, dependet, ſed leuior eſt, extenſione, e. g. meningum, illi mederi interdum licet per conſenſum, neruos ventriculi demulcendo. Potus Thee viridis, cum guttis aliquot Spir. ſalis ammon. ſaepius cephalalgiam ſopiuit, quae non in ventriculo cauſam ſuam habuit: probat hoc praeterea Obſ. 88. Vol. I. Ephem. Nat. Cur. de vetula haemorrhagiis narium adſueta, quae potu Coffee matutino cephalalgiam ſuam curauit, absque venaeſectionis auxilio. Tentanda itaque ſunt talia ſopientia, et quidem ſub vehiculo potus calidi aquoſi, e. g. caſtoreum, galbanum, camphora, nec non alia, ſale narcotico miti praedita, et parca doſi: non enim niſi ex narcotico empyreumate potui Coffee ineſt virtus ſopiendi. Iungunt quidam ipſum opium volatilibus quibusdam, ſed, pro praegnantia cauſae cephalalgiae, cautius cum illo mercandum. Alui ſegnities communiter his paſſionibus ſe iungit, ideo laxantia, mannata, rhabarbarina etc. interpoſitis clyſmatibus, conueniunt. Quoad prognoſin, ſciendum, cephalalgias et hemi-

cranias idiopaticas indomitas, principium neruorum diutino decubitu humorum premendo, vel extrauaſationem ſanguinis vel lymphae, inducendo, ſaepiſſime apoplexiarum cauſas fieri.

§. XXX.

Haemorrhagia narium praeſupponit ſanguinis accumulationem in vaſis capitis, per membranam pituitoſam exitum quaerentibus. Haeret ſanguis ſenilis, magna ex parte elaſticitate ſua priuatus, nunc in capite, nunc in thoracis, nunc in abdominis viſceribus: hinc eſt, quod ſenes ſaepius, ſucceſſiue, variis haemorrhagiis narium, pectoris, veſicae et ani fiant obnoxii. Non diſſuadeo autem, in hoc paſſu, nempe in haemorrhagiis, cautam venaeſectionem, multo minus ſcarificationes: interim opii vſui prouido, et aluum efficaciter ſubducentibus hic plus tribuo. Potio mannata cum cremore tartari, pulpa tamarindorum, rhabarbarum, cum nitro largiter ſociatum, hic locum habere debent. In victu valet acidorum vſus, et gelatinae variae. Stercus ſuillum recens pro odoramento. Veſicatoria, vel fortiter rubefacientia, applicentur manuum carpis et poplitibus. Totum corpus fricetur linteis calidis, vt reſorbeatur ſanguis ad extremitates et peripheriam. Mira certe res eſt, etiam in ſenibus, ſanguinis ad exitum quaerendum commoti, fiens translatio ad caput. Vetula grandaeua, floridae faciei, haemorrhoides ſaepe per annum habebat fluentes, et quidem per triduum; biduo autem ante illarum fluxum, narium haemorrhagia leuior antecedebat, haemorrhoidum fluxu apparente ceſſans. Ephem. Nat. Cur. D. III. A. IX. Obſ. 186. recenſent de octogenario, cuius haemorrhagia narium non cohibita fuit,

niſi

niſi apertione vlceris cruris exſiccati. Euporiſton vulgi eſt non reprobandum teſtes inuoluere linteis frigida ſola vel aceto mixta, madidis.

§. XXXI.

Vertigo ſenilis a meningum preſſione aut commotione, in cerebrum et neruos opticos redundante: quam ſaepe ſtagnans in capite ſanguis efficit, vti id in capitis inclinatione experimur. Eſt affectus ſonticus, ſaepe Apoplexiam praecedens, inprimis, ſi coniuncti ſunt conatus vomendi, ex eadem commotione deriuandi: vomitus enim ex commotione cerebri oriri notiſſimum eſt, ex caſibus concuſſionis cerebri, a vi externa. Hic neruorum conſenſus viam monſtrat, qua vertigini occurratur. Vertigini obnoxii ſenes etiam a commotione capitis per tuſſim male habent: quin ſaepe pileus oneri ipſis eſt, et motus ad vertiginem creans, quia cranium, ſub hac aetate, elaſtica reſiſtentia, vt plurimum caret. Ex his facile apparet ratio mortis ſubitaneae, quae ſequitur concuſſionem capitis, a lapſu, in illud. Quidam ſibi vertiginem inducebat, ſpinam dorſi contra murum premendo. Dicta haec commotio meningum ad ſpaſmos eſt referenda. Interim meninges atonia quadam affici poſſe ad vertiginis generationem non dubitandum. Differentiam iudico capiendam ex mora vertiginis: diutius morabitur, ſimulque periculoſior, et apoplexiae propior erit, quae ex atonia exſurgit; quae autem ſpaſmum pro cauſa habet, citius tranſibit. Prioribus commendo ſalia volatilia, vt vocant, macra, aromatica tonica, cinnamomum, calam. aromat. et quas iam antiquitas vertiginoſis dicauit, cubebas, imo camphoram, nec non vini ſpiritum his aromatibus imbutum: poſte-

rioribus crocum, caſtoreum, theriacam. Vtrique ſpeciei frictiones ſpinae dorſi, et extremorum ſunt neceſſariae: vertici et nuchae olea deſtill. galb. Lauand. maior. menthae, ſuccini etc. Qui vertigine matutina, a ſomno, vexantur, illi antequam lectum deſerunt, guttulam vnam vel alteram olei deſtill. menthae, foeniculi, vel etiam terebinth. vnicam in ſaccharo ſumant. Aura temperate frigida conuenit ſub capitis tamen ſufficiente coopertione.

§. XXXII.

Non negandum, ſanguinis ſtagnationes in vaſis inteſtinorum haemorrhoidalibus facere ſaepiſſime ad vertigines: hinc ſexagenaria quaedam, cum haemorrhoidum fluxum, cui adſuetam habebat naturam, ſentiebat morantem, vexabatur vertigine, non aliter quam illa, cuius ſub haemorrhagia narium mentionem feci, cui, hic inſtans fluxus, haemorrhagiam narium creauit. Septuagenarius quidam, robuſtus, floridus, vertiginem ſaepius, ſeptem, vel octo hirudinibus, ad anum applicatis, fugabat. Afficiuntur etiam interdum ſenes vertigine ex affecto ventriculo, et ita per conſenſum. Quidam de vertigine, cum fulgidis maculis, ante oculos ſtipatis, a paſtu, ex repletione conqueruntur, vt decumbere neceſſe habeant. Vir annorum 79, vegetus, et cibis durioribus huc vsque aſſuetus, habitus corporis ſtrictiſſimi, vertiginem ſentiebat a repletione ciborum, quam vomitus mox ſoluebat: idque ipſi certiſſime ab eſu cancrorum, duriuſcule coctorum contingebat. Alius ex potu Coffee, licet adſueto, tandem vertiginem incurrebat, vt ipſi valedicere cogeretur.

§. XXXIII.

Interim non ſunt adeo familiares hae, per conſenſum, vertigines ſenibus, nec adeo periculoſae, quam illae idiopathicae, ex cerebri et meningum actione ortae. In primo capite, ſub titulo animi paſſionum, allegaui breuiter effectum iracundiae funeſtum in octogenaria; ſed hic ob circumſtantias huius loci illum repetere neceſſe eſt, addendo hanc, ibi omiſſam circumſtantiam, et ſymtoma, quod mox poſt iracundiam vertigine corriperetur, comitantibus tremoribus: quibus debilitas tanta ſucceſſit, vt per diem vltra horulam extra lectum eſſe nequiret, comite anorexia: praeterea binis ante mortem ſeptimanis homines ad lectum ſedentes duplices vidit (§. XIX.) pulſus erat plenus, tardus et rarus, ſomnus multus, et mox mors placidiſſima. Apparet ex hoc phoenomeno circa viſum, quantum noxae tulerint cerebrum et nerui optici, ex iſta animi commotione, et inſequente meningum affectione nunc ſpaſmo, nunc atonia.

§. XXXIV.

Quando vertigini obnoxii ſenes detentionem humorum circa caput, e. gr. ex coryza ſentiunt, tunc maius animaduertunt periculum a ſomno euigilantes, et extra lectum actiones animales recapientes. Nerui, qui ſub ſomno primario actionibus vitalibus inſeruierunt, ad motus animales ſimul et ſemel redigi non poſſunt, quin ſaepe, quae inerat illis leuis ſomnifera atonia in totalem abeat, et apoplexiam, ſenibus a ſomno familiarem, formet. Non enim adeo ad ſubitam obedientiam reducuntur nerui ſenum, a ſomno, quam illi puerorum, qui a lecto ſurgentes vertigine quidem tentantur, ſed illam mox

fugant, et ſuperant. Non ſolum pueris haec vertigo eſt familiaris, ſed noui virum fere quadragenarium, qui quoties matulam, extra lectum, comprehendere tentat, in terram prolabitur: reddito autem pedibus tono, ſurgit, et libere veſicam exonerat. Ideo cum ſentiunt ſenes vertiginoſi tales circa caput ſtagnationes, et eius extraordinariam incaleſcentiam, et ſimul ſomnia moleſta, tunc vel oriluuiis frigidulis, aquoſis vel vinoſis, vel odoramentis paululum actiuis, vel lauatione faciei frigidiuſcula, ad analepſin neruorum, ſe leuent. Omnia ſub continua alui, ſi opus eſt, modeſta ſubductione, niſi inſtans apoplexia efficacius reſerandam eſſe iubeat.

§. XXXV.

Syncope et Lypothymia ſunt affectus ſenum gradu differentes, periculi tamen praeſentanei. Generis neruoſi affectum eſſe, quis dubitet? primario tamen viſcerum nobiliſſimorum, cerebri et cordis. Relaxantur nempe ſubito et grauiter nerui horum viſcerum in ſyncope, remanente raro, in ſenibus, pauxillo virtutis elaſticae, ad recapeſſendum tonum vitalem, pulſu cordis cum reſpiratione ſemper euaneſcente, et facie mortis formam monſtrante. In lypothymia autem tanto gradu non fit neruorum relaxatio, nec pulſus plane deficit, nec omnis reſpiratio, et ſi deficiunt, communiter citius recurrunt. Cerebri et cordis neruis adſcripſimus hunc affectum, et certe nunc huius, nunc illius magis pati obſeruamus. Cerebrum patitur, ſi oculi, mox ante ingruentem affectum caligant, ſi aures tinniunt, et ſi ſupinus decubitus moleſtus eſt, vti de his hyſtericae loquuntur et queruntur: porro, quando odore cuiusdam rei aduerſo oriuntur, vel ex adſpectis rebus

nau-

nauſeoſis, ex terrore, etc. De illa ex cordis adfe-ctione inferius.

§. XXXVI.

Cauſa proxima magis in obſcuro haeret. Quae in brutis arte factae ſunt ſyncopes lethales, illam in diſtentione vaſorum maiorum venoſorum, et ipſius cordis conſiſtere docent: vena iugularis et cruralis canum inſufflata canes ſubito necauit. Conf. Eph. Nat. Cur. D. II. A. V. et VII. Obſ. 53 et 132. Hardervs in ſcholio *Apiarii* ſui duo allegat experimenta, quibus vena iugularis, fortiter inflata, mortem ſubito induxit: corda illorum valde inflata fuerunt, et exiguum ſpumoſi ſanguinis exhibuerunt, cumque ante illorum diſſectionem, vulnere ſolum pertunderentur, ſtatim collapſa ſunt. Haec experimenta facilem reddunt ſyncopes et lypothymiae pathologiam, et docent, illarum cauſam communiter eſſe ſubitaneum defectum ſanguinis in vaſis maioribus, et in ipſo corde; vnde ex reſiduo, per proprium inteſtinum calorem, vaporoſa illorum inflatio.

§. XXXVII.

Saepiſſime grandaeui mox ab ambulatione, ſyncope moriuntur. Dabo caſum, cum ſubiuncto viſo et reperto: Reperiebatur ante multos annos, ad viam, vetula quaedam mortua, quae ante pauca temporis minuta, aeſtiuo tempore, ex itinere pedeſtri laſſa ibi venerat, et in terra quietem quaeſiuerat. Rogabatur a me, t. t. ciuitatis Phyſico, abſente Collega, vt de cadauere medico-legaliter renuntiarem. Cum in aperto cadauere viſcera omnia reperirentur ſana, vaſa autem maiora venoſa et arterioſa, vna cum corde, tota eſſent a ſanguine vacua,

cua, ſyncope ſic dicta, hyſterica illam mortuam eſſe renuntiabam, licet diſtenſionem cordis et vaſorum, ob praeterlapſam moram, non inuenirem: ſolus enim defectus ſanguinis, in minimis vaſculis viſcerum et peripheriae retenti, ad cordis motum autem neceſſarii, vaporoſo ſolum humore, vaſa maiora et cor diſtendente, ad ſyncopen ſufficit. Hoc modo enim ex graui haemorrhagia, et ex nimio ſudore, in debilibus oriuntur lypothymiae, quia ex his circulatio, ſanguinem ad cor deferens, impeditur, dum interim vaporoſum quid vaſa maiora diſtendit. Quid iam magis naturalis ſequelae, quam ſyſtematis neruoſi contingens ſubita, vniuerſalis, reſolutio, cum cor non habet, quod tradet cerebro ſanguinis? licet mors per cordis inſufflationem ad ſpeciem ſuffocationis reduci poſſit. Illa conſueta, in lypothymia, facilis per adſperſionem aquae frigidae in faciem, vel per fortem compreſſionem digiti minoris, vel per intruſionem ſalis in os, facta reuocatio, neruos reuocari per haec indicat. Quando autem, lypothymia inſurgente, illa per hauſtum frigidae repellitur, vapores, loco ſanguinis ſufficientis, in vaſis dominari, in aperto eſt. Hinc a calido potu communiter hae lypothymiae fouentur. Supra allegata vetula ex itinere pedeſtri a ſyncope correpta fuit; corripiuntur autem ab illa etiam, qui, ambulando, paruam viam emenſi ſunt, reſpiratione aucta, laſſi facti ſunt.

§. XXXVIII.

Relaxationem magnam ſub lipothymiis fieri animaduertimus in puerperis debilibus, quae, ſi non, ſub profluuio lochiorum exceſſiuo ſtatim a partu mortem ſubitaneam ſubeunt, lethaliter vulneratorum

inſtar,

inſtar, certe diu ab illis anguntur, et debilitatem corporis, viſus imminutam aciem, nebulas, etc. ad menſes aliquot patiuntur. Facit autem ad lipothymiarum inuitationem multum, retentio ſpiritus, reſpirationis inhibitio. In penſitationem hinc vocandus ſtatus grauidarum plethoricus, ſub quo vaſa omnia, et cerebri, et cordis maiora, ipſumque cor neceſſario diſtenduntur, conſequenter etiam cordis nerui, et totius ſyſtematis neruoſi origo, cerebrum. Accedit iam neceſſaria ad partus niſus promouendos ſpiritus retentio, ſub qua motus pulmonum inhibetur, hoc inhibito, autem progreſſus ſanguinis commodus per cor moram nectit; ſanguis autem copioſius accumulatus diſtendit cor et eius neruos, quae diſtenſio equidem, ſub mora, ex copia ſanguinis non pernitioſa eſt, quia et nerui a copia ſanguinis fouentur, et animantur: dum autem per partum copia ſanguinis celerrime ſubtrahitur, nerui debilitatem, a ſubtracto ſubito ſanguine acquiſitam, lipothymiis produnt, ſub quibus cor, ob ſubito enatam neruorum debilitatem tremulat, et obſcure vacillat, quia per factam haemorrhagiam, vix aliquid ſanguinis cordis thalamos intrat. Remanet autem ſaepe illa neruorum cordis debilitas per aliquot tempus, vnde redeuntium lipothymiarum fundamentum et recurſus.

§. XXXIX.

Prodit vero haec allegata cauſa ſe clariſſime, quando ita affectae feminae ſe pro lubitu in latus alterum vertere nequeunt; mouere enim ſe non poſſunt, niſi ſpiritum inhibendo; ſimulac autem ille inhibetur, progreſſus ſanguinis e corde inhibetur, cor denuo diſtenditur, tinniuntque aures cerebrum

in conſenſum rapi, et adeſſe lipothymiam denunciantes; et licet interdum tanta non adſit debilitas, vt ſub illo motu, lipothymiae inſultus, in lecto experiantur, tamen illos ſaepiſſime, quando ad aluum exonerandam extra lectum ſunt, dum alui exonerationem, ſpiritum comprimendo, promouent: recidiuant tunc inſultus lipothymici, toti ſopiti crediti, et aegrae docentur aluum in lecto exonerare, tuncque ſolo tinnitu aurium, ſub niſibus exonerationis, terrentur.

§. XL.

Certe, haec eadem eſt cauſa mortis ſubitaneae quorundam ſenum, de alui ſegnitie, et aurium tinnitu ante querulorum, quos in loco exonerationis alui mortuos repertos fuiſſe, aliquando audias; imo iuniorum, morbo quodam chronico, inprimis hydrope, vbi communiter ſanguinis defectus adeſt, laborantium: tales aegri debiles, aſt ab agonibus mortis, pro apparentia, multum remoti, quando ſe ad ſomnum in alterum latus vertunt, vix ac ne vix quidem, in illo decumbentes, ex facta ſpiritus ſub motu inhibitione, ſubito exſpirant: retentio enim ſpiritus, ad motum neceſſaria, motum cordis a neruis laborantibus iam debilem, totum ſupprimit. Haec etiam vera eſt cauſa mortis ſubitaneae ſcorbuticorum, ſub motu corporis, inprimis geſtatorio, ſpiritum plus comprimente, morientium: Cuius phoenomeni, qui de ſcorbuto ſcripſere, mentionem faciunt. Ex his interiectis cauſam ſyncopes in ſenibus inuenire difficile non erit. Retrogrediamur ad formam internam ſenum, quam in primo Cap. dedimus: inuenimus ſenum corda ampla, diſtenta, flaccida, auriculas extenſas. Genus neruoſum illis

per

er ſe eſt debile, tanto magis nunc in corde: mo-
us cordis eſt, per ſe, illis rarior, et debilior; arte-
ae valde amplae, et vix ſanguine replendae: quid
iirum iam, ſi, ſub defectu aliquali ſanguinis, ſolus
apor elaſticus cor flaccidum amplius diſtendat, et
eruorum virtutem ſufflaminet, vel ſi, ſub retenta
eſpiratione, ſanguis detentus neruos cordis debiles
latere ſuo in totum priuet. Dilucidationis ergo
abo ſequentes breues caſus. Vir annorum 50,
ydropicus factus, fit aſthmaticus: cum ſimul vires
itae valde laberentur, cordisque actio imbecillis
uaderet, ſub reſpiratione paululum compreſſa, vi-
ae finem adfuturum metuebat, hinc cum ipſi cre-
itus ventris emittendus inſtaret, famulo ſuo impe-
abat, ne illum deſereret, inſtare enim crepitum, et
ub illius emiſſione ſe moriturum: comprimebat eo
pſo ſpiritum, ad emittendum crepitum, et ſimul ex-
pirabat. Alius annorum 66, per aliquot annos ex
ypochondriis, et pulmonum infarctu, aſthmaticus,
beſulus, vitae finem ex debilitate inſtare obſerua-
at: cum tamen ad ambulandum adhuc vires vale-
ent, ſuaſu Medici hauſtum cereuiſiae Anglicae fortio-
is bibebat: refocillebantur inde ſubito vires ad ae-
gri ipſius gaudium; committebat ſe lecto, et ſuaui-
er per horulam dormiebat: expergefactus rurſus
hauſtum cereuiſiae ſumebat, et currum adſcendebat,
n quo fere per milliaris ſpatium extra vrbem vehe-
batur: ſumſerat autem ſecum in currum ampullam
cum cereuiſia hac, ipſi mire analeptica, et extra vr-
bem adhuc eius hauſtum potauerat. Redux domum
factus, aluum deponebat fluidiorem, et poſt horu-
lam altera vice, cum torminibus, quae omnia ex ce-
reuiſia, et quidem vltimo, poſt ſucculſationem in cur-

ru,

ru pota, accidebant, quia feces communiter quaedam infundo ampullae reſtitant: Cum autem tertia vice aluum deponeret, exſpirabat. Vir annorum 67 habitus laxi, ex multo aquae vitae potu, hydrope thoracis, et polypo videbatur laborare; nihilominus apparenter valebat: cum ſcalas ad capeſſendum officium adſcenderat, et ad ſcribendum pennam iam inter digitos tenebat, absque mortis praeuiis ſignis, de ſella in terram mortuus cadit.

§. XLI.

Interim non excludendae ſunt aliae cauſae Syncopes et Lipothymiae, quia haec relaxatio neruorum non ſemper in corde, vel in cerebro incipit, et quidem non ſemper vel a defectu ſanguinis in corde, vel a ſpiritu retento. Docemur id variis caſibus aliis. Bernabevs, Medicus Romanus, in Tractatu *de morbis improuiſis*, tradit de ſexagenario quodam, quod, poſtquam ſanus ſurrexerat, ex parco aquae vitae hauſtu grauiſſimis ventriculi doloribus correptus ſit, cum inſecuto ſudore frigido, et morte. Aquam, mortis veneno tinctam, illum hauſiſſe putares, niſi *Appendix* A. I. D. II. Eph. Nat. C. nobis caſum daret colicae grauiſſimae, a parce ſumto ſpiritu vini natae. His addam caſum alium, docentem, quae incommoda ex ſpirituoſo medicamento interdum aſſurgere poſſunt. Proiiciebatur quidam, tempore hiberno, ex traha, in ſtipitem obuium, quo ipſo ſiniſtrum latus ſub coſtis ſpuriis contundebatur: ſequebatur mox leuis dyſpnoea, et paulo poſt mictus cruentus. Cum ſanguinis quasdam ſtagnationes ſupereſſe poſſe iudicarentur, ad illas reſoluendas tincturae tartari non admodum ſaturatae guttae 50 aegro dabantur: ſequebatur autem,

em, fere immediate, anxietas cum leuibus lypothy-
niis, et artuum frigore, quae per horam durabant,
t in verticis immanem pruritum finiebantur, ab
pſo aegro ſcalptione ambarum manuum, ad illarum
aſſitudinem tandem domatum.

§. XLII.

Interim ſpiritus vini non ſolum, non ſemper tri-
es hos et mortiferos excitat caſus, ſed ſecundum
phem. N. C. D. III. A. V. Obſ. 145, effectus eius
tiam eſt euidentiſſime plane ſalutifer: recenſetur
nim ibi, feminam quandam, quando Syncopes, vt
i appellatur, cardiacae inſultus ſenſit, ſub colore
aciei emortuali, exclamaſſe, *morior, morior*, et
oſt ſubito hauſtum ſpiritum quendam apoplecti-
um, mortem ſyncopticam in inſtanti fugaſſe. Ap-
aret itaque ex his, affici primo et primario, in eius-
nodi caſibus, ramum ſexti paris neruorum, orificio
entriculi inſertum, et ſurculos ad cor mittentem.
Quod autem in quibusdam haec grauis affectio a
piritu vini excitata ſit, in aliis autem iam excitata
opita, id diſcriminis adfuiſſe puto, quod in priori-
us inopia ſucci viſcidi, tunicas ventriculi et inteſti-
orum, ſecundum naturam tegentis, adfuerit, vnde
erui illorum, ad ſpaſmos proni, facile ita irritati
uerunt, vt accedente ſpiritus vini elaſticitate, illos
rauiter diſtendente, paralytici inde euaſerint, et re-
quos cordis neruos etiam tono ſuo priuauerint.
n poſteriore autem caſu, mortem ſubitaneam mi-
ante, hoc neruorum par, ex parte orificio ventri-
uli inſertum, ex propria debilitate, ſui relaxatio-
em intendit, quae ſpirituoſis nempe aromaticis,
ontra apoplexiam, tonum vitalem fulcientibus, iu-
abatur. Coincidit haec ſyncope, cum illa lipo-

thymia,

thymia, quae aliquibus ex eſuritione accidit, ſole paſtu fuganda. Similiter in Ephem. N. C. recenſetur de femina, quae ſaepe comedendo ſyncopen auertebat. Nonne ſimilis diuerſitas apparet in venaeſectione circa lipothymiam? aliquibus enim lipothymiam inducit, aliquos autem a lipothymia reuocat.

§. XLIII.

Quoad illam, quae a ſpirituoſis aſſumtis oritur in mentem mihi incidit alius caſus hic memorandus, docens conſenſum neruorum ventriculi per totum corpus improuiſe et inſolenter redundantem et quidem ex leui cauſa: ſeneſcens quidam robuſtus, appetitus imminutione laborabat, quam a viſcido multo, ſtomacho inhaerente, natam eſſe iudicabat: formidabat vomitorium chymicum, vel aliud officinale ſumere, et eligebat hunc in finem aquam tepidam, ſale communi ſalitam, ſucceſſiue, copioſe ingerendam: cum iam multas eius liberae biberat mediante penna, in fauces intruſa, ventriculi motum anotericum excitabat. Eiiciebatur ſic multum viſcidi; ſuperbibebatur rurſus aqua, iterum pennae adminiculo euacuata: Verum, mox, ſub hoc labore aeger digitos manuum ſibi dolere ſentit; pergit interim bibere et euacuare: ecce autem digiti pedum dolore etiam corripiuntur, qui dolores ita vbique increſcunt, vt aeger exclamare, et Medicum accerſere cogeretur; hic cum nihil medicamentorum ad manus eſſet, iubet aegrum pedes manusque aquae calidae immergere, qua immerſione ſubito omnis ſpasmus dolorificus ſedatur. Sed, hiſtoriae et pathologiae ſatis: quid ſenibus conſilii?

§. XLI'

§. XLIV.

Ardua ſane res erit, inprimis, cum grauiſſimam morbi huius ſpeciem ſenes communiter inſultare iudicemus, nempe quae ex corde amplo, flaccido, arteria magna, vltra naturam capace, a ſanguine fere vacuis, neruisque praeterea debilibus oritur. Efficaciſſimum et ſubitae operationis debet eſſe remedium, quod ſimul ad manus ſit, cum mors fores pulſat. Quid autem adeo paratum haberi poteſt, quam ſpiritus quidam ab herbis balſamicis abſtractus, qualis ille feminae fuit, quo *morior, morior* ſuum fugauit. Noui feminam, quae olim, cum eſſet viginti aliquot annorum, quorundam liberorum iam mater, ventricoſa, ſyncope aliquando corripiebatur, adeo ſubito, vt non temporis ſupereſſet, hoc *morior* pronunciandi, multo minus ſpiritum vini poſcendi; ſimulac vero ad ſe redibat, poſt elapſu 3 vel 4 minuta, ſtatim aliquid ſpiritus vini poſtulabat, et ſub facie adhuc emortuali, vitam totam reuocabat. Praeter ſpiritum talem balſamicum, extra paroxyſmum, etiam commendabilis eſt maſticatio camphorae, et gummi galbani iis, qui hunc morbum metuunt. Affectu irruente, facies cum aqua apoplectica, Hungarica, vel alia ſpirituoſa, vel ipſa aqua communi frigida madefacienda, vt nerui faciei abundantiſſimi, ſic agitati, reliquos motitent: artus fricandi, ſcrobiculus cordis introrſum premendus, ſal ori ingerendum, digitus auricularis fortiter comprimendus, clyſter fortiter euacuans primo, et mox alius vinoſo-oleoſus iniiciendus. Venaeſectionem adhibere in lipothymia, quid ſolennius? bene autem conſtare cum ſupra notata syncopes aetiologia, quilibet dubitabit. Cum interim conſideremus, in

hoc

hoc affectus genere, circum ſanguinis quidem in paroxyſmo non ſubſiſtere, vaſa tamen reliquorum viſcerum et extremitatum ſanguine eſſe referta, et motum ſanguinis circulatorium, per eius ſubtractionem in actum reddi poſſe, eoque ipſo cor motum ſuum, reſpirationem autem pulmones repetere, non incongruum eſſe videtur hoc auxilii genus in vſum trahere. Qui autem irruentem hoſtem tempeſtiue ſentiunt, pro re nata, vel hauſtu frigidae, vel hauſtulo liquoris ſpirituoſi, cum cautione mox dicenda ſumant.

§. XLV.

Qui timent ſenes hoc mortis ſubitaneae genus, et ex inſultibus leuibus timere neceſſe habent, conſilium capiant, 1. ex ſupra recenſita diaeta longaeuorum, qui quotidie hauſtulum ſpiritus vini ſumſerunt, vel bibant vinum generoſum, vel manducent quotidie, inprimis cubitum eundo, granum vnum vel alterum camphorae, vt vigor neruorum conſeruetur, ex vigore ſanguinis, nec iuſtus gradus motus inteſtini, ſeu irritatiui, vt hodiernae ſcholae loquuntur, ipſis ad cordis motum deficiat. 2. Alui ſegnitiem euitare ſtudeant, ne eius difficilis deiectio ſpiritus diutinam retentionem poſcat; ſegnitiem autem euitent, vel clyſteribus emollientibus, vel pilulis aloëticis, vel iuſta diaetae, ad hunc ſcopum directione, et regimine; ſit autem illa, de reliquo, aromate tota non carens. Quo tragicus autem caſus ſupra allegato romano ſimilis, quoad ſpiritus vini vſum, non accidat, ſpirituoſa talia non bibant, niſi bene ſaccharata, vel comedant prius aliquid panis vel alius cibi, et ſi quid accidat cardealgici, ſtatim

cibum

cibum quemuis obuium deuorent, vt detur ſpiritui absque mora, quo eius violentia temperetur.

§. XLVI.

Claudamus huius affectus pertractationem quibusdam caſibus memorabilibus, ad illum pertinentibus. Primus ſit ille ex HOFMANNI Med. Conſ. Part. VI. Caſ. X. Dec. IV. grandaeui, qui ſenſibus externis et internis ſubito priuatus, pro moribundo, vel pro mortuo habitus, tertio tamen die ad incolumitatem rediit. Secundus grauior adhuc, ſumatur ex CARLII monitis medicis (mediciniſchen Bedenken) p. 335, viri, a cephalalgia habituali vexati, qui ſuos monuit, ne, ſi forſan lypothymia corriperetur, illum ſepelirent, exſpectando ad diem decimum quartum vsque. Contigit etiam, quod a lypothymia vel ſyncope per octiduum durante, ad vitam redierit. Tertium praebent Ephem. N. Cur. D. A. Obſeru. de quodam, fratrem ſuum, quem diu non viderat, inuiſuro, cum autem illum mortuum, et a Medicis praeſentibus diſſectum inueniret, in tantam incidit Syncopen, vt omnibus ante adhibitis fruſtra auxiliis, ad vitam reuocare inane et fruſtraneum futurum cenſerent Medici; proficuum itaque ducunt, pro informatione de morte hac ſubitanea, remoto cadauere fratris, illum diſſecare; ſub audiens autem talia, in imis cerebri latebris occulta ſyncoptici anima, hoc propoſitum eludit, oculos aperiendo, corpus mouendo, et cum illo celerrime auolando. (Fidiſſima mihi, hunc caſum ſuggeſſit memoria, locum obſeruationis autem, feſtinante abhinc tabellario, in tot Ephemeridum Voluminibus, reperire non potui.) Quartum exhibent Comment. Acad. Pariſ. A. 1748. Cum graſſaretur ibi rheuma-

 tiſmus,

tiſmus, cum excretione eryſipelatode, tranſeunte in philictenes ſeroſas, venaeſectio, pro febris vehementia repetita, ptiſanae, et tandem purgationes, omnibus ſanitatem reddidere, ſenibus autem haec cura non fuit ſufficiens; nam exſiccatis philictenibus, retrogradus a cute ad maſſam ſanguinis prauus humor, illos lipothymia affecit, cuius lethalem effectum vnice cauteria applicata eluſerunt. Prauus ille humor vel neruos ſtupore affecit, vel vapore lethali repleuit venas. (Notandum interim, lypothymias ſenum, licet morbo incongruas, ſemper ſuſpectas eſſe.) Vltimus ſit viri ſeneſcentis, qui ex debilitate generis neruoſi, et remora quadam circa aortae principium, per ſpaſmum ſenſibilem manifeſtata, noctu poſt ſomnum quatuor horarum, inſultu ſyncoptico, mediante tuſſi anxia et curta, excitabatur, vix ſe ſui compotem ſentiens: inueniebat in carpo manuum pulſum quaſi euaneſcentem, et ſimul intermittentem, ſiniſtram autem manum, et faciei partem ſudore frigido affectas; refocillabat autem ſe ſubito camphorae manducatione, et vino rhenano crocato calefacto, et tunc ſecurius ſomnum capiebat, absque metu noui inſultus. Vſu camphorae autem et gummi galbani praeſeruatiuo ſe immunem poſtea fecit ab hoc incommodo. Nerui debiles, ſenſim in ſomno, vltra iuſtum modum relaxati, cordis motum tollere tentabant, vnde inſultus ſyncopticus; ſub euigilatione autem ad tonum recapeſſendum cogebantur, qui roborantibus fulciebatur.

§. XLVII.

Reſtat adhuc ponderanda *mors ſenum ſubitanea per gaudium*, cum non deſint exempla, ex inopina

ceſſa fortuna, vel re gratiſſima improuiſo oblata,
nortuorum. Sic anno 1754, menſe Octobr. do-
entibus literis publicis, moriebatur Martisburgi,
nglus grandaeuus, octoginta annorum, paucis ho-
is, poſt nuntium, cognatum quendam in Anglia,
ſi magnam pecuniae ſummam, praeter opinionem
ſtatam eſſe. Flebile, et ſtupendum diuitiarum be-
eficium. Taceo praeter hunc recentem, caſus re-
quos, in hiſtoriis reperibiles. (Cap. III. §. XXXI.)
ifficile autem reor dilucidatu, qua praeciſe ratio-
e, ex gaudio vires vitae adeo cito ſuffocentur, vt
eſſent plane ad cordis motum. Ad ſyncopen cer-
referendus eſt mirus hic affectus. Quemadmo-
um terror comprimendo neruo fluidum nerueum
ſufficiente influxu arcet, et ita cordis motum ſup-
rimit; ita gaudium neruos adeo ſuauiter, ad ato-
iam vsque, videtur mulcere, vt ex abundanti influ-
u fluidi neruei, idem motus vitalis extinguatur, ceu
erea ex affluxu nimio cerae. Voluptatem quan-
am ſe ſenſiſſe interdum praedicant, qui a lypothy-
iis reuocantur. Cum in praeced. §. de ſyncope
iuturna reuiuiſcentibus quidam caſus allegantur,
erito hic ſigna de vera morte ſyncoptica, et totali
tae deſtructione, ſcitu quam maxime neceſſaria
oducenda ſunt, ne reſtitante adhuc vitae ſcintillu-
, ſyncoptici tales terrae mandentur. Sunt vero
imario haec tria verae mortis ſigna. 1. perdurans
frigeſcentia corporis, cum liuore ſimul notati.
. contabeſcentia muſculorum, et tendinum, ſimul
gidorum. 3. oculorum fortis marcor. Equidem
ntingit, vt, qui ex gangraena interna ſubito inua-
ſcente, febrili horripilatione coniuncta, cum cor-
ris refrigeſcentia, improuiſo citius moriuntur,

pauco ab exſpiratione elapſo tempore, inſignites ex ſanguinis motu inteſtino, nullam reſiſtentiam periphericam iam patiente, recaleſcant: ſequitur tamen mox liuor partium, coniuncta rigiditate, et oculorum marcore. Conf. Bruhier de non feſtinanda ſepultura.

§. XLVIII.

Paralyſis eſt morbus ſenes ſaepius, et grauius affligens, quam iuniores. Varia eſt, occupans nunc partem ſeparatam corporis, nunc dimidium, a vertice ad calcem, nunc truncum medium inferiorem cum artubus, nunc totum, capite ſolum ſaluo. Prior nomen adoptat ex parte, quam occupat, ſecunda *Hemiplexia* audit, tertia *Paraplegia*, qua communiter ex violentia externa ortum ſumit, rarius ex interna cauſa.

§. XLIX.

Paralyſis particularis corripit interdum ſubito partes, interdum ſucceſſiue. Hemiplexia autem communiter ſubito inuadit, et vt plurimum ſub paroxyſmo apoplectico, nunc leuiore, nunc grauiore. Paralyſes particulares, quas ſenes patiuntur, ſunt communiter *linguae, veſicae* et *crurum*. Raro paralyſis linguae totalis eſt, niſi ex paroxyſmo graui apoplectico relicta, qualis aderat in grandaeua quadam, quae ex paroxyſmo apoplectico hemiplexiam retinuerat, et per quadriennium, vsque ad mortem, tota muta erat; balbutiunt enim communiter ex lingua paralytici, nec toti aphoni ſunt. In conſiderationem hic veniunt miri effectus neruorum, ex longinquo ad officia linguae et vocis. Docent enim experimenta facta in canibus, per paris vagi rami neruoſi ligationem, ſubitaneam in illis oriri mutitatem

tem. Raucedo pertinax ſaepius vitio horum ner-
uorum tribuenda: vnde etiam ex colica raucedo?
qualem dant Ephem. N. Cur. Dec. III. A. III. Obſ.
113. niſi neruorum horum enata labe. Non nega-
mus interim, quin et paralyſis linguae ex debilitate,
preſſione, vel alia labe proximorum ramulorum, qui
linguam animant, et eius motum ad articulationem
dirigunt, oriri poſſit. Sic ſexagenarius quidam, ex
autumnali frigida aura autumnali, capiti admiſſa,
prima vice memoriae labem ſolum ſentit, curatam
calore, oleis deſtillatis inunctis, eſſentias aromat:
umbrae, etc. ſequente anno, eadem ex cauſa para-
lyſin linguae incurrit, illaeſa memoria: laxantia
aloëtico-ſalina repetita, vina aromatico-amara, vn-
ciatim ter in die pota, et etiam pro collutione oris
adhibita, nec non venaeſectio in brachio inſtituta,
rem rurſus reſtituunt. Proficua ſunt in hoc caſu
porro, oris et linguae frictio cum cubebis pulueri-
ſatis, et pulu. herbae roſmar. nec non oleum aniſi,
et ſuccini albi in ſaccharo detentum, vti talibus cu-
rata legitur octogenaria in Ephem. Nat. C. D. III.
A. VII. Obſ. 91. Colluatur praeterea os vino cali-
do generoſo, in quo praedicta ſimplicia, nec non
baccae iuniperi macerata ſunt. Veſicae paralyſin
ſenum perluſtrabimus, cum de vitiis veſicae et vri-
nae incontinentia ſermo erit.

§. L.

Paralyſis crurum ſenilis oritur, tam ex nerui cru-
ralis propria labe, e. g. tenuitate, in ſenio ſe magis
manifeſtante, etc. vel ex terrore coniuncto; nam
quae ſunt in corpore humano partes imperfectae,
vel debiles, ſub animi paſſione, prae reliquis, magis
afficiuntur: vel vitio neruorum meſenterii, aliarum

M 3 abdo-

abdominis partium, per conſenſum oritur. Sic, quoad prius, vir annorum 65, habitus ſtricti, Veneri et Baccho adhuc ſtrenue litans, in crurum paralyticam impotentiam incurrit, cum linguae, ex naturae vitio iam balbutientis, leuiore paralyſi. Adhibebantur ſupra in caſu ſexagenarii recenſita remedia, ſpina dorſi autem illinebatur oleo ſucc. maioranthos, cum oleo amygdal. temperatis; quae remedia mox ſanitatem reddiderunt. Fatendum autem ſimul, motum ſolum his partibus fuiſſe ablatum non ſenſum. Quoad poſterius autem, ex vitio neruorum abdominis, hoc non ſolum apparet ex Pareſi colica nata, ſed et hoc recens docuit caſus viri annorum 61, qui ſub doloribus vehementibus ſiniſtri hypochondrum, cum inſequente ſtranguria, abs que omni indicatione ad calculum vel praeſente, ve in praeterita aetate, ſucceſſiue in dextri cruris inualeſcentem paralyſin incidebat, cum ſenſus et motu partis priuatione; ſiniſtrum crus quidem motus defectum mox etiam experiebatur, ſenſus autem perfectus ipſi manebat. Licet hi dolores, non perpetui, aliquando recurrerent, tamen cedebant frequenti vſui eſſentiae pimpin. albae, et laxantibus aloëticis plenarie. Nihilo minus haec paralyſis crurum obſtinata, toti neruoſo ſyſtemati communicabatur et quidem primo neruis thoracis; incipiebat enim aeger tuſſi ferina corripi, et ab illa adeo grauiter affici, vt creſcentibus, cum effuſo ſudore, ad oculum debilitatibus, altero die, integris et perfectis ſenſibus, tam externis, quam internis, oculos, propriis manibus, ſub vltima reſpiratione, claudendo, inter proprias et ſuorum preces, mundo valediceret. Praeclarus vitae exitus! Varia, et mire differens conſti-

tuti

tutio indiuidualis ſyſtematis neruoſi, varios praebet caſus.

§. LI.

Paralyſes omnes corporis purgationem exigunt repetitam, non tamen ex draſticis, ſed ex illis quae fibris magis amicae ſunt, et ſe ſanguini inſinuant, vti ſunt rhabarbarum, aloës, manna, nec non ſenna etc. Proſunt infuſa vinoſa ex ſpeciebus aromatico-aperitiuis, roſmarino, ſaluia, rad. Angel. enulae, calami arom. etc. Artus laeſi fricentur manu potius calida, quam linteis, ad recipiendos ſuffitus ex ſuccino, aliisue pro ſuffitu vſualibus ſpeciebus, ſuccedente inuolutione cum linteis ſuffitu imbutis. Affricentur interdum ſpiritus formicarum, lumbricor. terreſtr. etc. ſaponati tamen. Spina dorſi, et os ſacrum perlinantur oleis deſtillatis iuniperi, aliisque, mixtis adipi ſuillae purae potius, quam oleis expreſſis, vel etiam ſaponi nigro. Saepius praeterea, haec olea, ſic temperata, adhibeantur, quam fortes illi ſpiritus abſtractitii, niſi ſapone ſaturati ſint: vrunt enim valde cutim, poros eo ipſo deſtruunt, et partes inde indureſcunt. Vnctuoſa autem talia poros ſimul extergunt; id quod apparet, quando a partibus afflictis rurſus exterguntur, quod ſudori largiori dent locum. Proderit etiam vertebris lumbaribus emplaſtrum imponere, cum oleis dictis conueniens, e. g. de Galbano, etc. cruribus autem tale applicare minime congruum eſt, inprimis, ſi aliquid oedematoſi adeſt. Ventres animalium, dum a iugulatione adhuc calent, paralyticas manus et crura roborare notum eſt: cum hi ad manus non ſunt, fotus cum muria carnium, in qua roſmarinus, ruta,

abſinthium, tanacetum etc. macerata ſunt, aliquid valent: praeualent autem thermae naturales.

§. LII.

Hemiplexia, vel *Hemiplegia* eſt dimidii corporis ſolutio, cum ſenſus et motus defectu: communiſſime ex apoplexia non ſubito lethali, remanet; oculus lateris relaxati conniuet, lingua balbutit, oris labia diſtorquentur, vomituritio adeſt ab initio, multum viſcidi ex faucibus ſimul relaxatis euomens; reſpiratio communiter impeditior, ſuſpiriis mixta; pulſus durus, celer et frequens; memoria vacillans; excretio et fiuxus ſaliuae in latere relaxato; extremitates artuum relaxatorum, inprimis manus, intumeſcunt, et quod maxime ſingulare in hemiplecticis, etiam non grauiter affectis, anxietates hypochondriacas incurrunt, ad eiulatum vsque. Grauiter affecti crus et brachium ſani lateris perpetuo agitant.

§. LIII.

Cauſa hemiplexiae, quae apoplexiae originem non debet, eſt neruorum dimidii corporis, a materia elaſtica, tonica priuatio, qua interdum ſucceſſiue priuantur; ſaepius autem ſubito, ex apoplexia, de qua mox. Hemiplexiam a ſtranguria vide §. CL. Cauſa occaſionalis varia: ira, terror, frigus, etc. illam producunt. Senex ruſticus, ebrius, ſub frigore hyemali rigido, corruit in niuem ad viam, pernoctat in hoc loco, alto ſomno ſepultus: mane euigilans ſentit illud corporis latus, quod aëris rigori expoſitum fuit paralyticum. Sola capitis refrigeratio, vel reliqui corporis, minus vehemens, quam haec, ſufficit ad hemiplexiam, imo apoplexiam illis, qui non ſunt naturae ruſticae.

§. LIV.

Qui ex vulnere capitis fiunt hemiplectici, tales ex corruptione extremitatum neruorum, ſtructuram ſuam vsque in oppoſitum latus cerebri interſecantium, fiunt, vti illud doctiſſime PETITVS in rariſſimo, (ob paucitatem exemplarium impreſſorum, vti docent Comment. Acad. Pariſ. in vita eius) tractatu epiſtolari Gallico, Namurci 1706, edito, cum figuris demonſtrauit. Tranſit haec corruptio, deſcendit, et relaxat totum dimidium oppoſitum. Cerebelli vero vulnera, vel aliae labes, ſi hemiplexiam inducunt, haec in ipſo eodem contingit latere.

§. LV.

Conuulſiua neruorum conquaſſatio, ſtantibus, vel ſublatis ſenſibus, interdum hemiplexiam parit, et quidem in illo latere, in quo oculi conniuere incipiunt. Ex arthritide fixa, annoſa, nec non, ex ſuppreſſa excretione haemorrhoidali ſaepe oriuntur hemiplexiae; de hac nunc proferam caſum, poſt de illa. Vir 77 annorum, habitus corporis valde exſucci, ideo, tempore hyemali, hypocauſto calidiſſimo vtens, iam per $1\frac{1}{2}$ annum fluxum haemorrhoidalem, quem antea per frequentia interualla abundantem habuit, non experitur. Vertigine iam, et tremore artuum a ſex menſibus tentatur, quando iracundia parum mouetur animus. Incidit tandem in Hemiplexiam dextri lateris. Poſt decubitum 4 vel 5 ſeptimanarum, ſub alui adſtrictione, redit fluxus haemorrhoidalis, parce licet; redit ſucceſſiue loquela, ante turbata, diſtinctior, et poſt vſum ſpiritus formicarum redit etiam motus brachii et pedis. Quaerit aeger, haec literis referens, an oleo ſpicae, in vertice, pro more, ipſi adſueto, vti poſſit?

quod probatur. Prognoſis, bona vel mala, ex aegri vigore, ſenſuum internorum et externorum ſtatu, deglutiendi difficultate, ex reſpiratione, nec non a pulſus conditione eſt haurienda.

§. LVI.

In cura Hemiplexiae prima quaeſtio eſt, in quo corporis latere vena ſit ſecanda? ſunt enim qui non niſi in latere ſano venaeſectionem admittunt, quod altera pars corporis omni vigore iam priuata ſit. Experientia autem edocuit, et ſtabiliuit, in vtroque latere venas aperiri poſſe, vtrumque, eum in finem, quo ſtagnatio, et lentior circuitus ſanguinis in latere affecto, ob relaxationem neruorum natus, mutetur in melius. Approbat id venaeſectio raninarum, de quibus, in vtroque latere ſecandis, nulli dubitamus. In latere ſano eadem ſubtractio ſanguinis, illud in motum reuoluit, quod in latere affecto ſtagnat. Repetita itaque fiat ſectio in plethoricis, et huic ventilationi adſuetis, robuſtis: quibus vero ex praegreſſis morbis, vel alia ex cauſa vires vitae fractae, in iis rarior fiat venaeſectio. Bene enim notandae ſunt morborum circumſtantiae, vt medela iuſte applicetur. Inſtruit de hoc caſus ſequens: ſexagenarius, ab annis octo, circiter, iam hemiplecticus, memoria inde adeo priuatus, vt, cum e. g. pecuniam, vel aliud quoduis numerare incipit, vix ad octauum numerum perueniat, prioris numeri obliuiſcens: orthoſtadius iam per aliquot annos erat, ſimulque manum morbidi lateris habebat relaxatam, liuidam, tumidam, et frigidam. Suadetur ipſi a Chirurgo venaeſectio in brachio relaxato, ſpe reſtitutionis manus in ſtatum meliorem; paret aeger, ſed inſequuntur mox fortes inſultus apoplectici,

ci, et omnia in peius relabuntur. Vixit interim per biennium adhuc, quo elapſo, ad plures abiit. Docemur forſan hoc caſu, venam non ſecandam eſſe in brachio affecto, diu iam paralytico, manu ſimul exiſtente liuida, frigida. Hinc aliquando ſeni, cui poſt vertiginem, et illa adhuc leuiter durante, brachium ſiniſtrum paralyticum factum erat, manu ſimul exiſtente tumida, liuidaque, et cui, cum in ſcapula ſiniſtra, ob comitem ibi dolorem, ſibi ſcarificari fecerat, nullus ſanguis educi poterat, venaeſectionem in illo brachio, quam intendebat, diſſuaſi, eundem metuens caſum. In principio enim in affecto latere educendus ſanguis, dum adhuc neruorum vigor non totus ſublatus, et dum ſanguinis circulus non valde diminutus eſt.

§. LVII.

Vaſa, quae communiter pertunduntur, ſunt venae brachii et pedum, et ſublinguales, nec potuit multorum practicorum, ex experientia nata, perſuaſio ad venarum iugularium, et arteriarum temporalium ſectionem, pro communi vſu, inualeſcere. Vt autem harum ſectionum fructus appareat, en! caſum ſequentem, ſupra promiſſum: ſexagenarius, robuſtus, plethoricus, per multos annos podagricus et chiragricus, tandem hemiplexia tentatur: leuatur malum, vna et altera vice, quaſi ſponte, vtpote hactenus leue, et mediocre. Redit tamen cum aliquali ſenſuum ſtupore apoplectico, non autem diutino, adeo, vt edicere poſſit, artus ipſi valde tendi, et hinc dolere: ingraueſcit autem, vno et altero die poſt, hemiplexia dextri lateris, cum linguae balbutie. Secatur mox vena brachii ſiniſtri: continuat autem non ſolum balbuties, ſed inſequitur etiam aphonia.

Spiritus

Spiritus C. C. cum oleis quibusdam deſtillatis mixtus, et plumacele ſub lingua reconditus, loquelam per aliquot horas reuocat, quae veſicatorio in nucha ante locato reuocari non poterat. Aeger de reliquo ſe mentis compotem eſſe, nictu capitis, ad interrogata congruo, monſtrat. Suaſi venae iugularis et arteriae temporalis inciſionem, ſed fruſtra: metus de nouitate, vel infructuoſe, vel male ceſſura, conſilii executionem differebat: tentatur potius auxilium varium, ex clyſteribus, aliisue acribus irritantibus ſumtum. Tandem tertio die, cum pulſus exiſteret febrilis, celer et frequens, ex arteria temporali dextra, circiter decem vnciae mittuntur, et ecce! poſt horam articulate loquitur. Durat haec loquendi potentia per quatuor horas; poſtea autem, reſpiratio, quae aegro, dum de reliquo bene valebat, non admodum commoda erat, fit magis ſtertens; ideo elapſis ab arteriotomia horis duodecim, vena iugularis dextra ſecatur, et ſanguinis circiter octo eliciuntur, quo facta non ſolum ille oppletiuus ſtertor minuitur, ſed elapſa vix hora, aeger exacte rurſus loquitur, cum minore tamen duratione; nam aphonia, cum pectoris oppletiuo paralytico ſtertore, poſt horam redit; et licet aliqualis mentis potentia, et auditus die quarto adhuc perſtaret, viſus tamen emori incipit, et aeger die quinto, poſt pulſum debilem, vndulantem e vita emigrat.

§. LVIII.

Educto, ex hemiplectico ſanguine, clyſteres iniiciendi ſunt, ex ſpeciebus carminatiuis cum cereuiſia, vel vino leuiori parati, vel cum aqua ex oxymelle ſcillitico, duo vel tres, horae ſpatio: eodem tempore, ſi deglutiendi aliqualis adeſt potentia, per os pur-

gantia

gantia dentur, primas vias fortiter abſtergentia, nec ſanguinem valde commouentia, e. g. ſalis Ebsham. vncia vna et ſemis; vel troch. alhandal gr. v. VII. cum tard. vitriol. prius deglutitis, ſuperbibendo ſolutum ſal Ebshamenſe. His effectum ſuum praeſtantibus, diebus inſequentibus, vomitus excitetur, vel ex rad. Ipecac. ſola, vel cum tartaro emet. vel infuſo Card. B. vel alio quouis, quod ſufficit, pluribus iam vomiturientibus aegris, vt viſcidum faucibus inhaerens, et in ipſa arteria aſpera collectum, foras protrudatur; ipſaque per vomitum facta ſyſtematis neruoſi concuſſio illud erigat; in quem finem, et cubebarum puluis, vel aliud ſimile, pro ſternutatorio naribus inſufflandum. Hemiplecticum vnice vomitoriis fere reſtitutum, lege in Actis Academ. Suecicae, Vol. I.

§. LIX.

Veſicatorium nuchae imponatur, et vertici; niſi animus ſit tentare, quid ferrum intenſe calidum valeat ad tonum meningum reſtituendum. Totum corpus fricetur linteis calidis, vel ipſis manibus, vt excitentur nerui languidi, et peripheria fiat magis perſpirabilis. Os colluatur mediante ſyringa, vino calido, anthoſato, iuniperino, aniſato: ſub axilla lateris affecti, goſſypium, oleo ſuccini, et axung. caſtorei imbutum locetur: de die Eſſ. ligni ſaſſafras, tinctura antimonii acris, liqu. C. C. ſuccin. ſal vol. oleos. Sylu. et ſpiritus Bezoard. Buſſi dentur. Si autem aeſtus ſanguinis adeſt, his ſepoſitis, conchae praepar. ex vino rhenano exhibeantur, cui vehiculo, aqua temperato, guttulae quaedam ſpiritus ſalis ammon. vrinoſi inſtillentur. Verſus noctem Theriacae Androm. doſis, aetati et viribus congrua exhibea-

hibeatur, tam ad tranſpirationem augendam, quam ad placidum ſomnum (quo durante, ſub placido ſanguinis motu inteſtino, neruorum ſyſtema maxime roboratur, et nutritur) conciliandum.

§. LX.

Apparet hic effectus aliquando luculentur in paralyticis, quando, ſimulac euigilant, manus pedesque per momentum temporis extendere valent, mox autem harum ex ſomno acquiſitarum virium iacturam, cum moerore, experiuntur. Ex hoc etiam, ſine dubio, eſt quod quidam vſum pilularum Wildeganſianarum, ex opio participantium, in paralyſi proficuum viderint. Frictionibus ſupra notatis ſiccis miſceantur vnctuoſae ibidem doctae. Fotibus vix vſus cedatur, niſi in malo recenti, mediocri, et in habitu corporis ſtricto: emplaſtris autem adhuc minus fidatur: obeſi enim ſexagenarii pedi pallido, paralyſi laboranti, cum emplaſtrum miraculoſum imponeretur, quatridui ſpatio cutem reddebat ſphacelatam.

§. LXI.

Hauriant Hemiplectici aërem ſerenum, nullis craſſis vaporibus, vel capiti aperte obnoxiis refertum, ſimulque caueant ab vſu narcoticorum, ſenſus obtundentium. En caſum nouum. Phlegmaticae conſtitutionis ſenex, 60 annorum, hemiplexia corripitur forti in latere dextro: redit poſt adhibita remedia, vſus linguae et pedis paralytici, tandem manus, aliqualiter. Conſuetus erat a multis annis tabacum fumigare, itaque ſanitati in tantum reſtitutus, illum fumigare tentat. Euacuata autem vix dimidia fiſtula, vertigine et lipothymiis corripitur: reuocatur ſpirituoſis et phlebotomia. Elapſis 4 ſeptima-

ptimanis, ad tabaci fumigationem appetitus redit, redit autem tragaedia fortior, priſtina enim remedia effectu ſuo carent, ſiniſtrum latus fit paralyticum, et elapſis vix 6 horis aeger moritur. Qui impune, reſtituti hemiplectici, tabacum fumigant, ſunt communiter fortioris temperamenti, et potu vinoſo, roborante vtentes.

§. LXII.

Apoplexia, morbus ſenum familiaris, grauior ſane affectus eſt, ſaepiſſime Hemiplexiae parens. Differt a Syncope, quod in hac pulſus nullus, in illa autem praeſens ſit, ad extremum vsque vitae halitum, imo interdum, in repente Apoplexia necatis adhuc poſt extremum halitum; contigit enim mihi ſemel, nouem ictus arteriae in carpo numerare, poſt ſublatam reſpirationem, in vetula robuſta, 70 annorum, quam apoplexia, poſt ſubitaneum in tempore ſiniſtro dolorem, horae ſpatio ſuſtulit: (conf. Cap. I. §. XXIX.) in ſyncope pallida mortis imago, in apoplexia facies florida; in ſyncope ſilens vel nulla reſpiratio, in apoplexia reſpiratio fortis, licet impedita etc. Differt itaque in forma et cauſa ſyncope ab Apoplexia et affectibus ſoporoſis. Stertor pectoris, ſpumans ſaliua, oculi rigidi, ſub palpebris conniuentibus, facies rnbicunda, ſenſuum internorum confuſio; externorum defectus, excepto interdum auditu, et motus omnis carentia, ſunt ſigna perfectae Apoplexiae. Senes interdum horae ſpatio iugulat, ſaepius tridui ſpatio, tardius, ocyus; ſub qua mora in hemiplexiam tranſit, tuncque hic dicta phoenomena paululum remittunt, non tamen absque metu mortis inſequentis. Haereo itaque circa aſſertum celeb. Medici CARLII, in iam allega-

tis

tis eius commentariis, dicentis: *non metuant ſenes apoplexiam, quia ſubito necat*, quia non omnis apoplexiae eſt proprium ſubito necare, magis haec proprietas Syncope et catharro ſuffocatiuo conuenit. Non praetereunda tamen ſilentio eſt relatio nouellarum publicarum (ſi illis in re medica credere fas eſt) anni 1755, recenſentium, Neapoli, ab initio menſis Septembris anni 1754, vsque ad Martium anni 1755, octingentos homines apoplexia mortuos eſſe, morte adeo ſubitanea, quaſi fulmine fuerint tacti. Diram accuſares hyemem huius anni, quae et ibi viguit, ſed illa ſolum menſibus Ianuarii et Februarii magnae vehementiae in Italia fuit.

§. LXIII.

Non adducam multos, et alienos caſus, quos maxime WEPFERVS in egregio ſuo Tractatu *de Apoplexia* ſuggerit: duos vnice meae experientiae adducam, licet tantum de inſultu apoplectico, non de perfecta apoplexia agentes: nec non quosdam ex Ephem. N. C. omnes materiam bene dilucidantes; poſtea quae, cum aliis in cura duco obſeruanda, inculcabo. Vetula ſeptuagenaria, robuſta, et ſanguine repleta, menſe Februario, poſt perpeſſum quendam animi moerorem, conqueritur de ſiniſtri brachii torpore, qui, cum tridui ſpatio non remitteret, ſanguinis vncias ſeptem, e dextri brachii mediana ſibi euacuari facit. Elapſis 4 horis, ſellae inſidens fit ſomnolenta, et poſt leuem capitis motitationem, ſupina cadit: redit mens poſt morulam, ſed viſus deficit, lingua balbutit, vomit. datur vinum calidum deglutiendum, pro tono ſyſtematis neruorum reuocando, et ſimul ad os colluendum, quo facto, poſt horulam viſus redit: applicatur clyſter ſquilla

acuatus,

acuatus, addito ſale gemmae in vino calido ſoluto, cum effectu ſufficiente. Queritur nunc aegra de viſcido, in faucibus haerente, et de deglutitione paululum impedita; quae incommoda mox potiuncula ex aqua apoplect. Langii, aquis quibusdam deſtillatis mixta euaneſcunt: brachii ſiniſtri torpor ſit minor, adeſt autem adhuc moleſtus ſuſurrus aurium, cum pulſu paruo: delirat verſus noctem, et ſomnolenta artus perpetuo iactitat. Secundo morbi die, mane et veſperi, aloës hepat. gr. j. cum rad. aron. et calami arom. aa. gr. VIII. dantur, vnde binae deiectiones: tertio die multa ſuſpiria, cum ſuſurru aurium perpetuo: quarto die iidem pulueres aloëtici, ex quibus plures alui deiectiones cum ſuſpiriorum fine, et praecordiorum magno leuamine. Anorexia interim adhuc adeſt, et defectus virium, ambulare non permittens. Conualeſcebat tamen ſucceſſiue. Elapſis vero vix quatuor ſeptimanis, multas narium haemorrhagias experitur, et quod, *ob controuerſiam, in Hemiplexia ſolennem, de ſeligendo venaeſectionis loco, notabile eſſe iudico, vnice ex nare ſiniſtra, in cuius latere torpor paralyticus ſe manifeſtauerat.*

§. LXIV.

Vir vere ſeptuagenarius, diu vertigini et vomitui obnoxius, tempore auſtrali humido, corripitur vertigine, cum tinnitu aurium, et motu quodam ſpasmodico, vt aiebat, ſub ipſo cranii vertice; deficiunt ſimul ſenſus, ex quo in humum cadit. Leuatus, mox quidem ſenſus ſat bene recipit, ſiniſtrum autem latus valde torpidum, et viſum in ſiniſtro oculo obſcurum ſentit. Poſt venaeſectionem, in dextro brachio inſtitutam, vires ad motum et ad viſum redeunt, vomiturit, et tandem euomit materiam bilioſam

cum multo leuamine; cumque conatus vomendi continuarent, infuſum Thee iterato exhibetur, inde adhuc vomitus cum maiore leuamine ſequuntur. Praeſcribitur ipſi potiuncula ex aqua apopl. Langii cum aqua flor. tiliae, coenam ſ. vino etc. temperata, addito parce ſale volat. oleoſ. S. nec non ſpir. ſalis ammon. cuius remedii beneficio paucis diebus conualeſcit. Hic caſus clare docet, meningum ſpaſmum, in atoniam vergentem, aliquando eſſe cauſam Apoplexiae: (conf. BAGLIVIVS et Acta Med. Berol. D. I. Vol. VIII.) Secundo, vſum eximium, quem vomitus praeſtant, in affectibus apoplecticis, ſi excitari poſſunt, inprimis vomituritione praeſente. Breues itaque hi caſus vſibus didaſcalicis non carent.

§. LXV.

His adiungam obſeruationes quasdam ex Ephem. N. C. petitas, de apoplexiis ſenilibus, quarum ſummam primariam, absque diſpendio tamen, prolixitatis euitandae ergo, ab oculos ponam. D. I. A. IX. Obſ. 166. proſtat vetula 72. annorum, a ſymtomatibus grauibus apoplecticis reſtituta, et quidem mediante ſpecifico cephal. officinali Lipſ. ſpiritu ſalis ammon. aniſato, et Eſſ. ſuccini: Exhibita etiam fuit ſalis vitrioli drachma ſemis, absque effectu vomitiuo, cum aliquali leuamine tamen. Rediit poſt tres menſes idem affectus, tunc mitigatus a ſuperueniente enormi haemorrhagia vteri. (Eadem res, vteri haemorrhagia, aliquando feminam 40 annorum, ſubito gutta ſerena, et apoplexia, in hemiplexiam deſinente, afficiebat. Tanta varietas effectus, vnius eiusdemque cauſae, ex circumſtantiis, non ſemper clare cognitis, et aetate variantibus.) In D. III. A. IV

A. IV. Obſ. 94. narratur, ſexagenario, poſt venaeſectionem, ſalis vitrioli drachmam ſemis datam fuiſſe, absque inſecutis, nec conatibus vomendi: poſt exhibitam mixturam, ex aqua ſaluiae cum vino, et apoplectica, anatice ad vnciam vnam ſumtis, Eſſ. Saluiae, lil. conuall. aa, drachmam vnam, ſpirit. ſal. ammon. ſcrup. vno, et ol. ſucc. gutt. octo, clyſter acrior iniectus. Illitum vertici, temporibus, ceruici et carpis manuum oleum ſuccini, et colophonis loco clyſter cum Elect. hierae picrae cum agarico adhibitus, cum aegri conualeſcentia.

§. LXVI.

Ephem: Nat. C. Cent. X. Obſ. 61. ſiſtunt octogenarium apoplecticum, ſimul conuulſum, ſanitati reſtitutum, ope venaeſectionis in pede, veſicatoriorum in brachiis et nucha applicitorum, caſtorinorum, cephalicorum, balſamicorum et ſpirituoſorum externorum. Ephem. Vol. IX. Siſtunt ſenem 77. annorum, repetita venaeſectione, curatum, repetitis vicibus. Poſſem adhuc curas apoplexiarum inſignes adducere, ſed ſufficiant hae pro doctrina: 1. ipſis grandaeuis reſtare ſpem emergendi ex apoplexia 2. decantatam gloriam ſalis vitrioli deficere communiter 3. ſpirituoſis neruinis, et oleo ſuccini ineſſe magnam virtutem ad tonum generi neruoſo reddendum, ex cauſa quacunque, modo non ſit grauiſſima, et acutiſſima apoplexia, nec paruae efficaciae erit ol. ſuccini, cum alcali volatile intime combinatum. 4. In venaeſectione repetita maximum haerere praeſidium. Recordor hic moniti, ad Cephalalgiam dati, de caute ſecanda vena ſenum, cum proſtent tot caſus in apoplexia largiter emiſſi ſanguinis, quin enormis haemorrhagiae vteri proficuae (§. praeced.)

 Verum

Verum differentia attendenda inter praeceps periculum, quod eſt in apoplexia, et morbos non adeo acutos; praeterea, in apoplexia enormiter ſanguis in capite et thorace ſtagnat, id quod in aliis affectibus non fit. Nihilominus, ſunt Practici, qui putent, apoplecticos interdum iugulari per venaeſectionem, interdum ſaluari. Experientia ſtat pro maiori numero ſaluatorum.

§. LXVII.

Cauſam apoplexiae agnoſcimus triplicem. 1. Sanguineam, ex ſanguine extrauaſato natam. 2. Seroſam, ex diluuio ſeri, cerebrum inundante 3. Meningeam, nempe a meningum atonia, cerebrum et medullam oblongatam comprimente. Ad *prognoſin* bonam pertinent haec pauca: ſi aeger ſe mouere incipit, ſimulque melius reſpirare, et loqui, et quidem haec, cum aliquali eminentia, et continuatione. Oculi vero contorti, magnus pectoris ſtertor, et oris ſpuma grauitatem mali indicant.

§. LXVIII.

Vt iam memoriae ergo, in paucas regulas contraham, quae, et quo ordine agenda ſunt, cum apoplecticum ex orci faucibus eripere cupimus, haec pono: 1. Ex arteria temporali, ex vena iugulari, et ex mediana, pauco, vel aliquot horarum, temporis ſpatio, ſanguinem eſſe mittendum, et quidem ad vncias decem, in latere quo commodum, maxime tamen in recenter affecto. 2. Poſt haec ſtatim clyſteres iniiciendi ex aceto ſquill, et elect. hierae picrae, diac. (quod SCHVLZIVS *in praelection. ad diſpenſat. Brandeb.* etiam iuſtiſſime commendat) participantes: vel vbi haec ad manus non ſunt, parentur ſolum ex cereuiſia et ſale, vel ex vino oligophoro et

ſale

ſale, vel aceto, aqua temperata, et ſale, clyſmata, eaque repetenda bis vel ter horae ſpatio, ad largas euacuationes vsque. 3. Praebeatur aegro, ſi deglutitionis reſtat quaedam potentia, oxymellis ſcillitici repetita doſis, vel etiam rad. Ipecacuannae drachma, cum grano vno vel altero tartari emetici pro ſtimulo. Nec hic ſpernendum monitum CARLII in ſuis comment. medicis, foliolum tabaci, in aqua calida maceratum, infuſum dare, citius apoplecticum reuocans, cum ανω et κατω facta euacuatione multae ſaburrae mucoſae, quam emetica antimonialia et venerea. 4. Oleum ſuccini cum camphora, et pauca pinguedine animali, vel etiam ol. amygd. dulc. vertici, nuchae et carpis affricetur. 5. Scarificationes in capite plus vno loco fiant, maxime ſupra ſuturam coronalem, et poſtea rubefacientia ex ſem. erucae, ſinap. applicentur. 6. Manus pedesque aceto calido fricentur, nec non ori, mediante ſyringa iniicietur acetum calidum, cum ſinapi, vel pipere, non pulueriſatis, coctum, et mellitum. 7. Sternutatorium tabacinum, vel ex flor. lil. conuall. naribus inſuffletur; cubebae hic ſunt debilioris virtutis. 8. Poſt excitatos vomitus, vel illos fruſtra tentatos, purgans deglutiendum detur, vel ſennatum, vel colocynthiacum, ſale quodam neutro, vel ſimplici, nitro, ſufficienter acuatum. Elect. Lenit. Florenz. vnciae duae, adiecto nitro, ſolutae in aqua calida. 9. Denique ſpiritus illi apoplectici, eſſentiae, ſpirit. ſalis ammon. et quae experientia probauit, in vſum ſunt vocanda, modo antea, per ſeueram et aſperam methodum, aeger ex ſopore apoplectico excitetur, et ſui compos factus ſit. 10. Sunt qui teſticulos vino tepido fouere docent, quia virtu-

tis vitalis illis multum inſit. An vetulis apoplecti-cis haec topica? vide Part. II. Therapeut. *Sciagraph. Ranchini.* Valent et reliqua, quae ſub haemiplexia commendaui, nempe in momento illo apoplectico, i. e. quando ſtertor pectoris remittit, ſenſus et motus lateri cuidam redduntur, cum mentis lucidis interuallis, tunc omnino cum medicamentis allegatis internis, continuandum, et corpus aloëtico-ſalino laxante, vtpote modico et ſufficiente, ſaepius euacuandum.

§. LXIX.

Reſtat adhuc conſilium, grauem hunc affectum praecauendi. Si inuento nupero Gallico, ſacculo illi Berolinenſi ant-apoplectico fides danda, certe opera leuiſſima auerti poterit, geſtando ſolum ſacculum ſpeciebus quibusdam repletum circa praecordia. Equidem conſiderandum, concurrere in praecordiis *quaſi* centrum quoddam neruorum, quorum refectio ipſam mortem ſubitaneam fugat, vti ſupra, ad Syncopen vidimus, an autem adeo penetrans virtus iis ſpeciebus inſit, vt ſanguinis infarctum, vaſa tandem rumpentem, et ſeri ſecretionem exceſſiuam, in cerebri ventriculis, auertere poſſit; porro meninges in perpetuo aequilibrio toni ſeruare, ne vel conuellantur, vel relaxentur, de eo tamdiu dubitandum, donec experientia illud vlterius probet. Appendendi ſunt hi ſacculi ſenibus, in quibus, ſi non prodromi apoplexiae primi iam obſeruati ſunt, tamen ex conſtitutione corporis hic morbus eſt metuendus, e. g. qui collum habent breue et amplum, vaſa iugularia itidem ampla et capacia, etc. vt experientia probentur.

§. LXX.

Si quid ex rationibus plus luculentis et minus ſecretis, cautelarum haurire licet, conſiſtunt illae in ſequentibus: 1. venaeſectione, bis vel ter per annum inſtituta, moderata, pro aetate. 2. in quotidiana, ante ſomnum facta, corporis frictione. 3. in quotidiana illinitione olei ſuccini, vertici et nuchae. 4. in alui quotidiana exoneratione. 5. in interno vſu quotidiano olei ſuccini ad guttas tres vel quinque, vel olei aniſi ad decem, facto. 6. in capitis frequenti pectinatione, mediante pectine arcto, quin menſtrua eius prouida lotione cum miti lixiuio. 7. in valde frigidae aurae fuga, maxime circa caput. 8. in irae cohibitione. 9. ciborum, difficilis digeſtionis repertorum, vel flatulentorum, remotione; imo omnium non immodica ingeſtione. 10. modico vſu vini generoſi. 11. veneris vel nullo vel parco vſu, caput afficiente, et ſomnum altum inducente. Cum praeterea notum ſit, apoplexiam ſub ſomno, vel mox a ſomno, communiter contingere, monemus. 12. capitis ſub ſomno eleuatum ſitum, prae ſupino praeſtare, ſimulque a ſomno diutino abſtinentiam. 13. ſurgentes de lecto aliquid eleoſacchari aniſi capiant, vel grana quaedam ſinapeos, a longo tempore decantati maſticatorii praeſeruatiui. 14. ſi tuſſi ferina corripitur ſenex, illam quantocyus coërceat remediis efficacibus, quia concuſſio capitis, et eius detentio per tuſſim facta, eius extrauaſationem producere poteſt, et aliquando produxit. 15. collum etiam nulla ligatura coarctetur, eadem ex cauſa detentionis ſanguinis, et impediti circuli. 16. aërem vitent vaporoſum, craſſum, de quo iam §. LXI.

Nunc reliquos morbos capitis, latius ſumtos, ſeniles producere ordo poſcit.

§. LXXI.

Cum in Hemiplexia *ſaliuae excretionis*, ceu phoenomeni huius morbi facta ſit mentio, de illo incommodo, ſenes quosdam, non ſolum vexante, ſed et illorum vires interdum frangente, agere conueniens duco. Noctu tantum, ſub ſomno excernitur, copioſe, ſenibus quibusdam et grandaeuis, aliquando adeo copioſo fluxu, vt vires inde frangantur, teſtibus Ephem. N. C. D. II. A. IV. Obſ. 108. Certe ſaliuae liquorem inter nobiliora corporis ſecreta numerandum eſſe, vel ex hoc apparet, quod eius ſuperflua excretio corpus debilitet; cum de cetero conſtet, illam inſeruire faciliori manducationi, deglutitioni, et tandem deglutitorum ciborum digeſtioni. Ex debilitate ductuum ſaliualium hunc ſaliuae ſpontaneum ſub ſomno fluxum oriri, manifeſtum eſt: generatur praeterea in ſenibus eius copia, ob peripheriam corporis magis obſtructam et denſatam, quae minus permittit ſerum per poros ſudoriferos exhalari; ſimul, in vſum faucium et ventriculi; illae enim in ſenio ſaepius aridae fiunt, et irrigatione ſaliuali opus habent; ventriculus autem eget liquore digeſtiuo auxiliari, quia domeſticus ille gaſtricus vappeſcere incipit. Hunc liquorem itaque ſaliualem relaxata orificia ductuum ſaliualium, omniumque innumerorum, per ſomnum relaxatorum vaſculorum excretoriorum, oris et faucium irrigationi inſeruientium, in os euacuant ſenum, qui ore, ipſis in ſomno, plerumque aperto facile effluit. Viuit adhuc grandaeuus, qui, per biennium, vlcere cruris ex eryſipelate laborat, cui ſaliua copioſe, dum ſomnum

mnum capit, per os effluit, et quidem copioſius, quando vlcus cruris non abundanter ſerum vlceroſum fundit, indicio, ex copia ſeri alicubi retenti, et ſaliuam abundare. Hoc incommodum, quando ſimplex eſt, nec cum vlcere, etc. colludit, leuatur roborantibus, vinoſis, aromaticis, amaris, cort. aurant. et peruv. vino rubro infuſis: ſalſa autem, tam in diaeta, quam in medicina, parca ſint, quia ſaliua hoc ſtimulo magis agitatur. Alius ſexagenarius, in oris latere dextro primo dolorem, mox tumorem experiebatur, quem ſaliuatio diurna et nocturna ſequebatur, tanta, quanta ope mercurii excitari poſſit.

§. LXXII.

Dentium vitia in ſenibus nunc veniunt perluſtranda. Primum eſt *vacillatio*, poſt illorum *lapſus*, quo edentuli fiunt. Moleſtia et incommodum non leue. Perit enim voluptas alacriter manducandi, et edendi cibos ſolidiores, ſapidos, quid? quod haec non absque paſſionibus et doloribus quibusdam contingant. Naſcuntur enim communiter ante lapſum dentium, *parulides*, pus generantes, imo interdum fiſtuloſae. Diſtinguendae autem hae parulides ſunt a laxitate gingiuarum continua, inprimis poſt motum corporis, lympham inſpiſſatam ad dentes ſecernente. In parulide enim tumor, isque liuidus adeſt, qui non adeſt in ſimpliciter laxis gingiuis. Sciendum autem eſt, his incommodis, et caſui dentium plus obnoxios eſſe homines habitus laxi, vel fibrarum teneriorum, quam qui ſunt ſtricti: hinc eſt, quod prioribus, ſaepe diu ante ſenium haec dentium vitia veniant: eademque ex cauſa feminae plus laborant dentium vitiis et citius edentulae fiunt, quam mares. Parulides feliciter interdum reſol-

uuntur, quando excretio muci naris, eiusdem lateris, per calorem et errhina, copioſior obtinetur; alias facile ipſam maxillam grauius infeſtat. Quibus fibra gingiuarum eſt robuſta, et ſanguinis bona craſis, illis poſt caſum dentium gingiuae fiunt calloſae, dentium ſat bene vicariae; de qua re vetula in Ephem. N. C. allegatur, quae duras panis cruſtas oſſeis *quaſi* gingiuis confregit. Infauſta ſorte damnata fuit octogenaria, circa hoc manducationis organon, ſecundum Eph. N. C. D. I. A. II. Obſ. 279. ipſi enim dextra pars maxillae inferioris, nullatenus carioſa, vna cum dentibus, a muſculo temporali et gingiuis ipſis, *poſt diuturnam defluxionem* ſeparata fuit, nullo inde redundante incommodo, niſi quod in ea parte difficulter audierit.

§. LXXIII.

Primarium, quod ad *dentium conſeruationem* attinet, eſt illorum et gingiuarum frictio, cum pane aduſto et rad. ireos florent. vel cum cubebis pulueriſatis, gingiuas eximie ſimul roborantibus. Exulent dentifricia ex duris partibus, nitorem dentium laedentibus, conſtantia. Os poſt morulam colluatur cum vino rubro puro, vel lymphato, adſtringente. Parulides, ſi naſci incipiunt, non ſolum earundem, ſed omnis relaxatae gingiuae modeſta, repetita tamen, ſcarificatio neceſſaria eſt, euacuatur enim hac mediante, ſanguis in torpidis vaſculis ſtagnans, ipſe torpidus et foetidus; qua euacuatione vaſcula conſtringuntur, nec ſe poſtea a vappido ſanguine facile extendi patiuntur. Opus praeterea eſt, in tali dentium ſcorbutica conditione, herbis acidulis, amaro-aromaticis, antiſcorbuticis vti. Cibi valde pingues, oua, et ſimilia non edantur. Bonum vinum

rubrum,

rubrum, Rhenanum, Moſellanum, aqua, ſi opus eſt, temperatum, plus conuenit, quam cereuiſia fortis: praeſtat potius acidula, ſecundaria. Si ceciderint nihilominus dentes, gingiuarum induratio, ope collutionis cum vino rubro, et auſterorum fructuum frequenti manducatione promouenda eſt, vt, quantum poſſibile, manducationi inſeruiant. Euulſionem dentium, ob enata quaedam incommoda, illam ſuadentia, in grandaeuis, minime ſuademus, ob dubiam maxillae firmitatem, et in ſenibus frangibilitatem, inprimis ſi a parulidibus tentata fuerit: terrere enim poteſt haemorrhagia, quam octogenaria, in Commerc. liter. Norimb. 1742, poſt euulſionem dentis canini paſſa eſt, per biduum; quam non ſemper aequo cum ſucceſſu, allegata ibi fortis buccae compreſſio, digitorum ope facta, ſiſtet.

§. LXXIV.

Pertinent ad affectus capitis ſeniles, adhuc duo, quorum iam ante meminiſſe fas fuiſſet, *Vigiliae* nempe, et *ſopores*. Vigiliae ſunt morbus ſenum moleſtiſſimus, ſimulque vires admodum depaſcens: cum enim non ſolum totum corpus, ſed et ſenſus externi et interni per vſum diurnum fatigati, mediante ſomno refici debeant, vigiliae hanc neceſſariam refectionem impediunt. Senes enim tanto magis illa refectione indigent, quanto magis vires corporis et ſenſuum vigor, ex ſolo ſenio labuntur.

§. LXXV.

Vt vigiliarum cauſa eo magis eluceſcat, quae in Cap. I. §. LXIX. de natura ſomni diximus, breuibus repetamus. *Somnus* eſt remiſſio placida toni totius corporis, quo ſub illa motus inteſtinus ſanguinis augeatur, pro humorum vtilium et inutilium intima

ma ſecretione. Redditur ſub hac ſecretione ſenſibus et reliquo corpori illud vtile et neceſſarium, quod vſus diurnus illis ſubtraxit. Cognoſcitur autem remiſſio toni maxime ex pulſu, durante ſomno, rariore et pleniore, nec non ex faciei, et partium muſculoſarum ſucculento rubore, et blanda inflatione, quae remiſſio in plurimis placide et inſenſibiliter fit, in aliquibus autem, eodem, quo obdormiunt, momento, ſubſultu ſpaſmodico totius corporis. Motus itaque inteſtinus ſanguinis in cerebro auctus demulcendo illud, ſomnum efficit, et ſub ſomno ſecretionem liquidi neruei ſpirituoſo-vaporoſo perficit. His poſitis, *Vigiliae* ſunt abſentia remiſſionis toni placidi naturalis corporis, et motus inteſtini ſanguinis nullum factum placidum augmentum, nec fiens tanta, in cerebro, liquidi neruei ſecretio, ſed ſenſuum, tam internorum, quam externorum perdurans tenſio et actio.

§. LXXVI.

Quemadmodum itaque motus placidus inteſtinus ſomniferus absque remiſſione toni eſſe nequit; ita reciproce haec remiſſio toni a placido motu inteſtino allici et inuitari poteſt, ad ſomnum capiendum et vigilias fugandas. Dantur quidem impedimenta quaedam vigilias nutrientia, e. g. aerumnae, et curae animum edentes, ipſe ſanguis minus elaſticus, et ad placidi motus inteſtini eleuationem ineptus; ne dicam de morbis quibusdam, tuſſi, flatulentia, ſtranguria, ſenibus familiaribus, ſomnum interrumpendo vigilias cauſantibus. Aerumnarum remedium raro in manu Medici eſt, ergo aliunde quaerendum. Qui remedium palliatiuum, potum inebriantem, in vſum vocare amant, eoque curas fugant,

gant, et ſepeliunt, illi vires vitae ſimul fugant, et ſepeliunt. Flatulentia eſt ſaepe ſaepius cauſa vigiliarum, quae vel ex ventriculi et inteſtinorum inanitione oritur, vel ex cibis flatulentis in coena ſumtis. Vti ventriculi et inteſtinorum oneratio cum cibis, ex pondere, moleſtias creat, et motum periſtalticum retardat; ita inanitio illorum motum periſtalticum celeriorem, ſimul vero inordinatum et praecipitantem generat, qui vapores mox includit, mox emittit, eoque ipſo inteſtina, varia gyratione, ſonora facit, quae omnia neruorum ſyſtema in placidam et ſomniferam remiſſionem componi non ſinunt. Datur autem praeter hoc adhuc aliud flatulentiae genus, ſomnum impediens, quod in inteſtinorum ſpeciali tenſione, nata a ſanguine, vaſa viſcerum diſtendente et vrente haeret, ſub corporis inquieta iectigatione, et plantarum pedum, coopertionem recuſantium eximio calore: malo haemorrhoidariis ſolenniore.

§. LXXVII.

Quo his vigiliarum impedimentis obex ponatur, curae, omni poſſibili ratione, rectoque modo ex animo eliminentur. Flatulentia euitetur, coena ſit parca, et conſtet ex cibis ratis, et pro conſtitutione gratis. Supra vbi de regimine vitae ſenum egimus, obſeruauimus, illos magis cibos ſolidos, ſalitos, et aromate conditos, prae liquidis ſumere; et inſequentis inde ſomni rationem, ex blanda oſcillatione, quam tales cibi in neruis ventriculi excitant, et his mediantibus ſyſtemati neruoſo communicant, ſtatuere annisi ſumus: inhaeremus itaque huic ſententiae, et cibos tales ſalitos vel tales ſupra denominatos, in coena parca, multis commendamus. Miram

ſaepe

ſaepe deprehendimus ſalis culinaris, in coena, cibis debite mixti, virtutem hypnoticam.

§. LXXVIII.

Licet autem talis diaeta non conueniat ſenibus omnibus, inprimis longaeuis et grandaeuis, et linquendum ſit multum naturae inſtinctui, conſuetudini et viribus, hocque modo non ſit remedium vniuerſale contra vigilias; attamen certum eſt, parcum ciborum ſalitorum, fumatorumue ciborum ſuperingeſto modico hauſtu vini generoſi, vel pro regionum conſuetudine, bona cereuiſia lupulata, modice ſuperbibita, ſaepius eximium fructum contra vigilias praebere: nulla ex his oritur flatulentia, ſed ventriculi et inteſtinorum nerui, ita roborati et refecti, ſilentio ſuauiſſimo ſomnum profundum inducere iuuabunt. Noui ſenes non paucos, qui ita vigilias arcent, et quidem, quando cereuiſia bona, vel vinum vinoſum, elaſticum ipſis deeſt, cochlear modicum ſpiritus cereuiſiae addunt, et pro hauſtu hypnotico, poſt coenam, cum optato euentu hauriunt: qui autem ipſi ſpiritui vini adſueti ſunt, illo ad eundem ſcopum modice vtuntur. Sunt etiam, qui ex pota frigida in coena, auxilium contra flatulentias, vigilias impedientes habent; et hoc auxilii genus maxime illis prodeſt, quibus ſanguis in vaſis inteſtinorum haeret vrens, vti iam iam illos notauimus. Credibile eſt, populos orientales, qui nec ſupra notatos cibos, nec potum fermentatum ſpirituoſum, ſed vnice aquam pro potu, et varios fructus pro cibo, vtuntur, ex tali victu natas vigilias, narcoticorum vſum in ſolamen vocaſſe.

§. LXXIX.

Habent contra vigilias etiam amara ſuum vſum. Vinum abſinthites egregium in vigiliis ſenum praeſtat officium: et cum flatulentia primum ſit ſymtoma mali hypochondriaci, cui facillime iunguntur vigiliae, ex virtute amarorum variorum, illud ngredientium, hypochondriacis magnum eſt ſolamen in vigiliis. Cum iucunda recordatione memini, ſaepe pertinaces vigilias hypochondriacorum vno el altero grano aloës hepaticae, tartaro vitriolato cuatae, quaſi experimento, ſi non totas fugaſſe, tamen interuallis ſomniferis fregiſſe, idque tanto certius, vbi ſextam vel ſeptimam partem grani laudani piati addidi, vel guttulam vnam et alteram olei bſinthii veri.

§. LXXX.

Interim ſciendum, vigilias, quae, vt ſupra monuimus, ex ſanguine in viſceribus abdominalibus infarto, et vaſa ſanguifera diſtendente oriuntur, hiſce emediis non cedere, quin ex illis noxam potius caere. Conueniunt magis nitroſa, et multae alui nodeſtae ſubductiones, ex rhabarbaro et ſenna: clyeres nitroſi, oſcula excretoria inteſtinorum emolentes, et aperientes, quo ſanguinis maſſa, hoc moo, a viſcido, quod ſtagnationes generat, liberetur. Cum etiam haec ſtagnatio optime per excretionem pſius ſanguinis, per venas arteriasque inteſtinorum aemorrhoidales tolli poſſit, aloëticis, interdum, eo llaborandum, vel inſeſſibus, vel ad hunc finem, aplicatio repetita hirudinum ad anum, et venaeſectioes in pedibus, ambobus ſimul, in auxilium vocanae. Noui equidem duos caſus, vbi methodo aparenter contraria, excretio ſanguinis obtenta fuit,

in

in ſenibus vegetis, a flatulentia et inquietudine ſumma nocturna vexatis, nempe in vno, largo potu vini Hungarici, verſus noctem, ſuaſu Medici, exhibito; in altero vero, bono hauſtu ſpiritus vini, ex aromate, oleoſi; quibus, excretione ſanguinis per anum in larga quantitate obtenta, noctes poſtea habuerunt ſomniferas. Verum, vti tentamina talia non ſemper feliciter cedunt, ita non ſunt ſecure commendanda.

§. LXXXI.

Quod tandem attinet vigilias, ex craſi ſanguinis vappeſcente oriundas, certe illae ſenio ſunt maxime naturales, vtpote non immodicae, et a ſenibus, a reliquis morbis liberis facile ferendae. Et licet ſanguinem, in vappeſcentiam ruentem, in totum corrigere nequeamus, tamen per adhibita aromatico amara, diaetam conuenientem et potum ſpirituoſum fermentatum, vltra modum neceſſitatis non adhibitum, exceſſum eius cohibere ſtudeamus.

§. LXXXII.

Senes coniugio fruentes, et illius quodammodo potentes, habent ex illo remedium clinicum contra vigilias: dicunt ex illo caput et faciem ſibi incaleſcere, et tunc ſequi ſomnum placidiſſimum, cum inſequente maiore alacritate mentis et corporis, quam a ſomno ſponte et tarde irrepente, vel alio modo comparato.

§. LXXXIII.

Cum iam aliquoties meminerim aloës hepaticae, opus eſſe videtur, vt rationem reddam eius vſus, cum apud Practicos hodiernos maxime abſoleuerit; malunt enim aloën optimam ſuccotorinam, cariorem, lucidam, ſecundum WEDELIVM, aliosque, in vſum

trahe-

trahere, et nihilominus lotionibus, et inſpiſſationibus corrigere, quam hepaticam non correctam, nec correctione indigentem adhibere. Nec, quod mirum, ipſam correctam aloën, ſecuri vſus eſſe proclamant. Mihi ab initio praxeos medicae aloë hepatica, pura, nec arena et quisquiliis inquinata, viſa eſt ſufficere, tam ſcopo aluum ſubducendi, quam per ſubtilem, et magis penetrantem ſuam gummoſam amaritiem, humorum viſciditatem corrigendi; reputans, illam minus efficacem eſſe ſanguinem exaeſtuandi, cum in illa minor quantitas reſinae haereat, quam in ſuccoterina, nobiliore iudicata. Gauiſus etiam valde ſum, cum tam HERMANNVM in *Cynoſura materiae medicae*, quam HOMBERGIVM, *in Comment. Acad. Scient. Paris.* a meis partibus ſtare inuenerim, quod hepaticam ſuccotorinae ad vſum medicum praetulerint. Multas liberas aloës hepaticae conſumſi, ex quo tempore praxi medicae me dedi, nunquam tamen vltra tria grana, ſaepius ad duo grana, et non raro ad granum vnicum pro doſi dando, ſemper tamen in connubio tartari vitriolati, ſcrupulo dimidio vel vltra, et magneſiae albae aliquot granorum, vbi intentio fuit aluum certo ſubducendi; nam vltra myriades exemplorum, non nemini ter vel quater intentionem laxatiuam ſefelliſſe, ſed ſemper cum optato aegri commodo effectum dediſſe. Ideo, ipſi, glorioſiſſimae memoriae Imperatrici, ANNAE, (cuius valetudini, nunc podagra, vel chiragra, nunc renum, vel capitis dolore, vel taeniae moleſtiis fractae, per ſeptennium ſolus praefui, exceptis vltimis vitae eius ſex menſibus) ſaepiſſime, hunc puluerem laxatiuum propinaui, quae, eius amaritiem ſat benigne ferens, tamen ſubito,

vnum vel alterum cochlear vini Hungarici ſuperbibere ſolita erat. Erat quidem plurimis delicatulis hic puluis, ob ſalinam amaritiem, nauſeoſus, leniſſima tamen, et certiſſima eius operatio, non ſolum illum, prae pilulis aloëticis, ſegnius operantibus, commendauit; ſed cum ob euitandum, pro quouis aegro, nouum diſpenſandi laborem, formulam eius ſub titulo: *pulueris polychreſti laxatiui*, pharmacopolio traderem, Practici quidam illegitimi, bonis verbis, vel alio modo, a pharmacopolii miniſtris, eius compoſitionem ex piſcati ſunt, et ipſi domi, aegris ſuis, diſpenſauerunt hunc puluerem, cuius vſum polychreſtum adeo laudabilem, ſub praxi mea, obſeruauerant.

§. LXXXIV.

Inductus autem fui hunc aloëticum puluerem concinnandi, ob taedia, quae multi aegri ex pilularum aloëticarum vſualium, ob ingredientium multiplicem farraginem, multoties ſegnium, diu ſuſpenſam, imo ſaepius fallentem operationem, capiebant. Elegi itaque aloën hepaticam, facile ſolubilem, ſale aperitiuo acuatam, nec huc vsque eius rei me poenituit; licet bonis pilulis aloëticis, in quibus ſubiectis illae intentioni ſatisfaciunt, vti, non ſolum non noxium, ſed et vtile duco. Aloën hanc hepaticam melius cruditates ventriculi non ſolum reſoluere, ſed et euacuare, poſtea autem, vel ſimul, ventriculum et bilis craſin roborare, et magis corrigere, quam reliqua amara, certum eſt: hinc aſſeuerare poſſum, quosdam aegros, poſt interpoſitam morulam a ſumto iſto puluere, ſeſe quaſi ex languore refectos ſenſiſſe. Taceo eius virtutem ſomniferam, quando verſus noctem ſumitur, licet laxantibus, prae vigilii:

liis communiter militantibus, lenibus aſſocietur. Laete recordor reſponſi feminae cuiusdam, diarrhaeae habituali obnoxiae, cui aloës hepat. gr. j. rhabarb. gr. XII. et balſ. peruv. gutt. 2. in puluere dederam verſus noctem ſumendo, vt per aluum educeretur, collecta in inteſtinis colluuies, et poſtea roborentur inteſtina; cum illam ſequenti mane, de effectu huius laxatiui interrogarem, et illa ridens mihi reſponderet: loco alui ſubductionis, quam et a morbo meo, et a tuo laxatiuo exſpectaui, cum futuris, pro more meo, vigiliis, per totam noctem bene dormiui, nec niſi hodie mane, vnicam ſedem habui.

§. LXXXV.

Cum venia Lectoris, recentem, de virtute aloës ſomnifera addam caſum. Conſulor a ruſtico, de vxore ſua, infantem ſemeſtrem lactante, nunc autem poſt ſextiduum, quo febre laborat acuta, phrenitidem patiente. Quarto morbi die, dicebat, ipſi fuiſſe venam ſectam, inſurgente tunc primo phrenitide, cum eiusdem aliquali remiſſione; nunc autem adeo vehementer inſurrexiſſe, vt a viris robuſtis, quos pugnis et dentibus petit, teneri non poſſit. Interrogo, an infans a mammis remotus ſit, quod annuitur; an forſan alui fluxu laboret, quod negatur. Iudico alui ſubductionem proficuam futuram, et praeſcribo pulueris polychr. laxatiui gr. XXV, veſperi ſumenda, nec male rem ceſſuram autumo, ſi inſequente mane, et horis pomeridianis, aloë ſalibus non acuata, ſuper ingereretur, ad recrementa in viſceribus abdominis haerentia, pedetentim euacuanda: praeſcribo itaque, aloës hep. gr. 4, myrrhae gr. XX, et ne guſtum ruſticae peruehementer laede-

rem, ipſique pulueri maior moles accederet, addo ſacchari canar. gr. 40. Fiat puluis in 2 doſes aequales diuidendus, quarum altera ſumatur mane, altera meridie; et ſic in vrbem ad pharmacopolium ablego ruſticum, ſimul imperans, vt poſt abſorbtos omnes pulueres redeat, altero die. Redit autem tertio, nuntiatque vxorem, bihorio, vel trihorio poſt abſorbtum puluerem polychreſtum laxat. Tranquilliorem factam eſſe, et mane inſequente, ceſſato delirio, ſponte alium puluerem expetiuiſſe, copioſe ſudaſſe, medicinam pretioſam, et ſibi ſalutarem praedicaſſe, tertiumque puluerem ſibi dari mandaſſe, ſomnum autem nullum inde habuiſſe; rogat itaque maritus, vt medicinam ad ſomnum praeſcribam. Interrogo, quot ſedes ab his pulueribus ſint ſecutae, reſpondet nullam, et vxorem iam per ſextiduum aluum habere obſtructam. Clyſma ordinaſſem, ſi huic genti rudiſſimae applicabile iudicari potuiſſet. Praeſcribo itaque rurſus pulu. polychr. laxat. gr. L. diuidenda in 2 doſes, vnam hora 10 noctis, et alteram hora 5ta matutina, diei inſequentis ſumendam, vtque redeat vir iubeo; non rediit autem niſi tertio die, et quidem vocatus, licet per milliare a me diſtaret, deſiderabam enim valde vlteriorem relationem de hac aegra. Venit itaque: interrogo, an ſumſerit vxor vltimos duos pulueres, et an aluum inde depoſuerit? reſpondet ſumſiſſe, et tres largas ſedes inde ſecutas eſſe, cum inſequente magna debilitate, delirare autem illam rurſus leniter, et nullam amplius medicinam velle vxorem, niſi analepticam, quam praeſcribo, de euentu huius morbi, niſi poſt tres circiter menſes, a conſanguinea aegrae, certior factus; haec narrabat, aegram illam, ante aduentum

tum medicinae analepticae, horrore quodam febrili valido correptam fuiſſe, quo finito analepticam potionem ſumſiſſe, ex tunc rurſus incaluiſſe, dormiuiſſe, et ſic pedetentim conualuiſſe. Liceat mihi ſuperaddere, breuiſſimis, alium, lectu non indignum, recentiſſimum caſum. Adducitur mihi, iuuenis 30 annorum, menſe aeſtiuo calido, melancholicus ſubito factus, nunc maniae initiis ferocibus tentatus, dedi aloës hepat. gr. xxx, camphorae gr. xx pro doſi verſus noctem, prima vice, et cum ſomnolentiam inde naſci viderem, auxi doſin camphorae 10 granis, et additi ol. abſinth. deſt. gutt. 10. ſimulque iuſſi, vt elapſa, poſt ſumtum puluerem, hora, verſus noctem, pediluuio frigido vteretur; ſomnolentia in pediluuio iam apparente, pediluuio fruſtum glaciei addere iuſſi, cum inſequente ſomno profundiſſimo, et poſt repetitam ter vel quater hanc methodum, aegri inſecuta perfecta ſanitate. Tantam vim, adeo ſonticas vigilias pellendi, ſola camphora non habuiſſet; debetur itaque, primario, haec virtus aloë, inprimis cum virtutem laxandi aluum amiſerat, ligata a camphora; vti etiam in caſu priori, quia aluum non euacuauerat, aegram ad tranquillitatem duxerat. Frigida pediluuia mirum valent in tali caſu; id quod olim in aliis duobus caſibus expertus ſum. Felix eſt iuuantium combinatio.

§. LXXXVI.

Non comprehendo, quomodo veteres, quibus laus circumſpectionis denegari nequit, aloën, non ad grana, ſed ad ſcrupulos integros dare potuerint, absque ſuſpicione mali inde euenturi, et absque obſeruatione mali inde enati. Scopo purgandi, ſine dubio, exceſſiuam illam doſin non dedere, cum igno-

tum illis eſſe non potuit, tres vel quinque grana eundem edere effectum, quam viginti; ideo credendum, illos humores viſcidos ſanguinis corrigendi ſcopo, in tanta quantitate eam praebuiſſe, idque aeque aetati virili ac ſenili, quo Aloë illos attingere faceret annos Noae, vti fert prouerbium rythmicum: nec apud illos fuit metus magnae exaeſtuationis ſanguinis, vel fluxus haemorrhoidalis inde endemii futuri, vti noſtris temporibus, de illa, valet terror panicus. Excitare interdum aloën fluxum haemorrhoidalem in diſpoſitis, certum eſt; ſed certum etiam, quosdam illa per annorum luſtra, in pilulis aloëticis vſualibus vti, nec inde vel conamina ad haemorrhoides ſentire. Sit itaque Aloë non adeo damnata, non ſolum ob beneficium, quod ventriculo languido, et ſanguini viſcido largitur, et quod ſanguinis et inteſtinorum cruditates blande euacuat, ſed et ob virtutem eius ſomniferam.

§. LXXXVII.

Non reiicienda interim ſunt reliqua, quae directe magis operantur ad ſomnum. Ipſum *opium* et pharmaca opiata vſurpata, amaris, imo vino mixta huc faciunt, modo cum circumſpectione ad cauſas vigiliarum animus aduertatur. Lochnervs, ſenex Medicus Norimbergenſis, vigilias ſuas, poſt multa alia, tandem papauere vicit, et gratitudinis ergo hanc plantam hiſtorice, philologice, et medice illuſtrauit, illamque Diſſertationem Ephem. N. Cur. inſeruit. Medicus grandaeuus, quondam Lubecenſis, hannekenivs, vigilias ſuas ſeniles tandem fumo tabaci edomuit, vti mihi olim narratum: et nuper ſenex quidam mihi recenſebat, ſe per trimeſtre fere fuiſſe inſomnem, tandemque ex vſu naſturtii

ſomnum

ſomnum recuperaſſe; indicio, ex ventriculi affectu, et ex flatulentia ipſi ortas fuiſſe vigilias, quod et annuebat. In Ephem. N. C. D. III. A. IX. Obſ. 253. docetur, eſſentiam Ambrae, cum ſucco roſarum fermentato paratam, plus valere contra vigilias, quam opium, et ſimilia. Nec camphorae deeſt virtus hypnotica, vbi ſub ingreſſum lecti, aliquid eius maſticatur. Quanta in efferis vigiliis ſit, in maiore quantitate adhibita, vidimus §. LXXXV.

§. LXXXVIII.

Vltimo addimus; vigilias excludere et ſomnum inuitare valet corporis laſſitudo per vecturam corpus commode, vel paulum incommode ſuccuſſantem, inducta, ſi per horam vnam vel alteram ante horas ſomni durauerit. Liberi hac via manent pedes ſeniles a fatigatione, vt ambulationi felicius inſeruiant interdiu; ad hanc praeterea mane et ante ſomnum fricandi.

§. LXXXIX.

Licet vigiliae ſenibus ſint magis familiares, quam altus ſomnus et ſopores, illae tamen, vtut moleſtae, non adeo ſunt periculoſae, quam perpetua ſomnolentia, nec hanc adeo feliciter pellemus, ob cauſae eius grauiorem rationem. Vti enim iuuenibus ſomnolentia, et ſomnus magis naturalis eſt, ita ex natura cerebri ſenilis, vti ſupra monuimus, vigiliae ſenibus magis propriae ſunt. Indicant hoc Hollandi prouerbio quodam rythmico, huius tenoris: cum iuuenis non amplius poterit dormire, nec ſenex amplius vigilare, ambo mox viuere ceſſabunt. Oritur autem *ſopor continuus*, isque varius, et periculi differentis, quando cerebrum ſenile, quod pro gradu ſenii certum gradum ſoliditatis habere debet, in illo

vel excedit, vel a ſoliditate ad mollitiem recedit, vt inde nunc inflammationes, nunc abſceſſus, nunc ſeri diluuia, nunc putrilagines gignantur. Quando ſenum ſanguis exaeſtuat, ex febre, inprimis plethoricorum, et ſanguis aeſtuans contracta iam vaſa cerebri diſtendere nimis intendit, ſoporoſitas, cum obtuſa cephalalgia adeſt, et cerebrum periclitare indicat. Accedit, ſoporoſitati ſenum omni, anorexia, imo interdum vomitus, ex cerebro conſenſualis, et tunc lethargus metuendus, vel apoplexia grauiſſima. Pulſus ſub hoc ſtatu eſt plenus, rythmi naturalis, ſi non rarior.

§. XC.

Quae ad medendum conueniunt, ſunt maſticatoria, apophlegmatizantia macra, radix pyrethri, ſemen ſinapeos et talia nodulo incluſa, et aceto macerata. Venaeſectio in pede, et pro rata, in brachio: capillorum deraſio: ſcarificatio repetita in vertice, et in ſutura coronali, qua interdum ſeroſitas ſanguinis detegitur, qua detecta, veſicatoria in ipſis cranii integumentis, et in nucha ponenda erunt. Interne acidula conueniunt, et diuretica ſalina neutra, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritui nitri nuptus. Potus ſit tenuis, aquoſus, frigidus; exulet omnis fortior. Frictiones artuum inferiorum proſunt, et pediluuia in aqua, primum tepida, poſt frigida, inſequentibus nouis frictionibus. Clyſteres iniiciantur ſquillitici, vel colocynthiaci, quales in apoplexia commendauimus. Senna, rhabarbarum, cum ſale tartari, tartaro vitriolato, imo cum grano trochiſcorum alhandal iuncta, repetito dentur. Teſticuli inuoluantur frigida, vti in haemorrhagia narium doctum eſt.

§. XCI.

Deſcendimus nunc a capite, per collum, ad partes inferiores, examinando, in tranſitu, duos affectus ſeniles, *deglutitionem difficilem, et anginam.* Deglutitio ſenum difficilis eſt duplex: vna contingit ex ipſa faucium *coarctatione*, per ſenium facta; altera ex *relaxatione* et *debilitate oeſophagi.*

§. XCII.

Quoad primam, ex oſſium in ſenectute ariditate, et molis eorundem decremento, patet, faciem ſenum minus amplam, quam antea, eſſe: hinc maxillae ſuperioris cum oſſe palati ſubſidentia adeſt, quam cartilagines articulationum, etiam ad oſſeam naturam exareſcentes, promouent: fit autem, eo ipſo, vt maxilla inferior minus firmiter articulationibus inſerta, collineante adhoc muſculorum debilitate, in ſenibus promineat, quae poſitio faucium fretum minus patere facit tranſitui bolorum maſticatorum priſtinae molis, ſenesque neceſſe habeant, cibos minoris portionis deglutire, niſi velint illos circa laryngem haeſitare, et ſuffocationem minari. Situs et capacitatis faucium haec mutatio, vel ex ipſa arteriae aſperae, cui annectitur oeſophagus, foras facta prominentia apparet, quae ſenes ſimul impedit, vt collare ad modum conſuetum conſtringere non valeant. Obſeruatur etiam eadem arctitas faucium, circa mucum, qui per aſperam arteriam ex pulmonibus eiicitur, quem in tanta, vt antea, mole, ſe non expectorare poſſe fatentur ſenes, quod laryngem facile tegat, et ſuffocationem minetur, niſi ſtatim intenſo niſu eiiciatur. Hui defectui vix aliud quoddam opponi poteſt remedium, quam prouida

maſticatio, et per paruos bolos deglutitio. Praeterire autem hoc incommodum ſenile noluimus.

§. XCIII.

Alterius ſpeciei deglutitionis cauſam, vt eo facilius rimemur, duos de illa praemittam caſus. 1. Sexagenarius robuſtus, qui a multis retro annis, moleſtas illas vomituritiones matutinas habuerat, de difficili deglutitione queritur: aluus ipſi eſt obſtructa, pedes et manus frigidae, ſentitque ſimul interdum horripilationes et formicationes in artubus. Vinum aduſtum, quo moderate vti conſueuerat, iam non fert, quia ventriculum morſicat: laborat interdum ſoda; conſtat tamen appetitus. Reclinato corpore in lecto decumbens, ſuffocationis leues inſultus, et ſtrangulationis ſpeciem ſentit, vt caput erigere neceſſe ſit. Difficulter deglutit eſculenta et potulenta, inprimis potum frigidum. Prima vice hoc incommodum a copioſa ingurgitatione lactis acidi coagulati ſenſit. Accidit ipſi talis ſtrangulatio interdum extra paſtus tempus ſubito tamen euaneſcens. Ex cibis fumo induratis et ſalſis, ex quibus huc vsque feliciter victum habuit, nunc cardialgiam leuem ſentit. Bibere incipiebat contra hoc malum aquas minerales Emſenſes, ſed aſthma inde mox ſuccedens continuationem diſuadebat. Sanabatur tandem ſub vſu continuato pilularum aloëticarum, nunc Beccherianarum, nunc Francofurtenſium, et remediorum quorundam carminatiuorum, grandaeuus factus. Alius ſexagenarius debilioris corporis conſtitutionis, cum iuſcula farinacea, mucilaginoſa, ex auena, etc. imo ex lacte parata, edebat, muſculos oeſophagi deglutitionem recuſare obſeruabat, vt niſibus repetitis ad illa deglutienda impellere

pellere opus haberet. Cereuiſia frigida difficillime deglutiebatur, calida autem, vel vinum calidum ſolitae facilis erat deglutitionis. Cibos ſalſos, ſolidos etiam, licet frigidos, facile deglutiebat.

§. XCIV.

Licet haec deglutitionis ſpecies illi appropinquet, quae ſuffocationem hyſtericam comitatur, quia tamen hoc vnicum, ſeparatum ſymtoma hypochondriaco-hyſtericum, abſentibus reliquis, in his duobus ſenibus inueni, ad affectus ſeniles numerare placuit. Apparet autem ex nocentibus et iuuantibus, morbi naturam in neruis et neruoſae tunicae oeſophagi haerere; hinc frigidus potus et iuſcula in ſulſa farinacea officiunt, proficiunt autem, calidus potus ex cereuiſia et vino; ſalſa, amara, aloë, non tamen indiſcriminatim, conducunt, vti caſus docent, ſed pro conſtitutione indiuiduali ventriculi, etc. Regimen diaetae non vnum idemque ſenibus omnibus eſſe idem, ſed variare, variantibus circumſtantiis debere, docemur. (Alius generis deglutitionem difficilem lege in §. CLXXVII.)

§. XCV.

Alter colli ſenilis affectus, *Angina*, maioris eſt momenti, non quod etiam deglutitionem difficilem reddat, ſed quod inflammatio ſit faucium, et maxime oeſophagi, absque eminente tumore partium vel glandularum: reſpiratione communiter ſalua, cum febre tamen. Oeſophagus ſenum, iam pro ſenii natura, praebet oculis inſpicientibus vaſcula flaccida, rubicunda, et tota ſanguine diſtenta; nunc accedente inflammatione magis marceſcit, et lentae gangraenae fit obnoxius, quae, cum ventriculi orificio communicata, poſt aliquod dierum ſingultum, ſenem

ſenem necat. Grandaeuis communiter lethalis affectus. Quicquid interim auxilii eſt, in his affectibus, illud ex venaeſectione moderata, et ex deglutitione vini rubri, pauxillo ſpiritus vini animati, vel non animati, petendum: quod remedium tamen ſi valde rodens ſentiatur, vehiculo quodam mucilaginoſo, ſaccharato miſcendum. Praeterea, haec talia, etiam gargariſatione et ſyringatione faucibus applicari poſſunt. Aluus vnice per clyſteres emollientes ducenda.

§. XCVI.

In *thorace* ſenum, qui naſcuntur morbi, communiter ſunt, 1. Tuſſis, 2. Phthiſis, 3. Aſthma, 4. Catarrhus ſuffocatiuus, 5. Polypus, 6. Hydrops pectoris, 7. Haemoptyſis, 8. Pleuritis, Pleuro-peripneumonia.

§. XCVII.

Tuſſis adeo propria eſt ſenibus, vt, referente STRALENBERGIO, in relatione ſua de Ruſſia, quidam Siberiae populi, aliud nomen ſenibus dare neſciant, quam *Tuſſiens*, illudque quidam ex ſono tuſſis ſumtum. Quid mirum, quod, cum tranſpiratio corporis ſenilis diminuta eſt, omnes humores magis ad intra vergant, et organa indureſcentia ſecretoria corporis adcubitu onerent; illa autem ita onerata, vti in tuſſi ſunt pulmones, decumbentem humorem, omni vi eiiciant. Adſunt praeter hanc generalem cauſam, et aliae, nempe ſeri ſalſi ad muſculos laryngis decubitus, communiter vehementiorem et fere ſpasmodicam tuſſim excitans, quam illa, quae ex bronchiorum congeſto muco oritur, et cum ſibilo coniuncta eſt. Corripit et ſenes tuſſis, quae cum ſubiraneo bronchiorum, et arteriae aſperae muſculorum

orum violento ſpaſmo, cum diaphragmatis coniunctis conuulſiuis agitationibus, et hypochondriorum tumultu illos turbat; ſaepius ſub laborioſo insultu, et paroxyſmo. Tuſſes hae plerumque *ſiccae* ſunt, et ſi non facile cedunt, periculoſae euadunt, quia ſimul caput turbant, tam concuſſione, quam congeſtione ſanguinis, titulum *conuulſiuarum* merentes, vel *ferinarum*. Lugebatur, ante paucos annos, celeb. Prof. Göttingenſis, grandaeuus, qui poſtquam ante noctem tuſſi ferina correptus fuerat, mane in lecto mortuus repertus eſt. Apoplexia ſine dubio obiit, vel cordis ruptura; valde enim quatitur debile, ad officia ſegnius redditum hoc primarium vitae organum: vel cerebrum, neruorum principium officio ſuo fungi amplius non valuit. (vide tuſſim ferin. §. L.) Ex tuſſi tali nuper viro grandaeuo bubonocele in ſiniſtro inguine. Si etiam hae tuſſes, interdum diu durantes, apoplexiam non inducunt, virium tamen proſtrationem, anorexiam, et agrypniam cauſantur. Quibus ſic tuſſientibus, mucus ſanguinolentus exſcreatur, illis, prae ceteris, venaeſectio conuenit; conuenit autem fere omnibus, interpoſitis laxantibus. Bona etiam ſunt olea expreſſa, amygd. lini etc. ſperma Ceti, et pinguedines, gallinacea, imo decantata illa canina, pane toſto exceptae, adſperſo ſale, interdum ſuperinſtrata pulpa pomorum, ad gratifaciendum ſtomacho: demulcent et delinunt irritatas et ſero acri turbatas fibras nerueas. Nec carnes pingues, recentes, et fumatae hic exulent, ventriculo gratae; ſimiliter piſces pingues, quorum pinguedo ſe intimius ſanguini miſcet. Omnia pro conſuetudine aegri. Quantum enim ſub diaetae ſchemate ſeni aegro ſubuenire licitum

eſt,

eſt, tantum medicinae faſtidioſae derogatur. Proſunt lacticinia, crocata, aniſata, ſaluiata: iuſcula carnium pinguia: infuſum ſaluiae, addita glycyrrhiza pro euehendis particulis ſeri nocentibus per vrinam. Nux moſcata, et lacrymae olibani maſticatae temperant ſaepe ſubito ſerum fauces occupans; omnia autem ſuperat hoc intuitu granum camphorae maſticatum. Quae, per maſticationem praeterea, ad ventriculum et ſanguinem abit medicina, menſtruo ſaliuali praeparata, naturae eſt conuenientiſſima.

§. XCVIII.

Tuſſim *humidam mucoſam*, leuant ſuccus Citri, oxymel ſquillit. nec non Eſſ. pimpin. alb. Succini, et alia G. ammon. Syr. de Eryſ. Lob. etc. Si autem aliquid febrilis accedit, magis proſunt ex cort. Caſcar. parata remedia. Inter aromata valet crocus et zinziber, ille infuſis, vel cibis additus, hoc in puluere, cum ſextuplo vel ſeptuplo ſacchari mixtum, et absque vehiculo deglutitum. Valet interdum ſpiritus vini multo ſaccharo dulcificatus, balſamus ſulph. aniſatus, ad maſſam pilularem, leni igne, inſpiſſatus, et ad grana IV. vel V. pulueri glycyrrhizae mixtus, itidem ſolaminis eſt: ructus, quos creat, male ſapidos, macis maſticatio temperat. Terebinthina in vitello oui ſoluta, addita pauca aqua menthae. Ipſa aqua menthae ſola, ſaccharo paululum edulcorata, mucum egregie reſoluit, ventriculum, et reliqua viſcera roborat.

§. XCIX.

Ad tuſſis ſaepius memoratae ſpaſmodicae curationem pertinet etiam opiatorum prouidus vſus, e. g. pilulae de Styrace, vel de Cynogloſſa parcius

itae, comitantibus infuſis vel decoctis pectoralibus
t ſpeciebus leniter incraſſantibus et diureticis, quo
er calide bibita ſimul tranſpiratio augeatur, et ſic
er poros et renes acre ſerum eliminetur. Tran-
pirationi multum fauebit induſium ex panno laneo,
m ſupra memorato, Flanell dicto: quod tamen
eponendum rurſus, ſimulac tuſſis eminenter remiſit,
e aſſuefiat natura huic fortiori tranſpirationi, et
npoſterum hic effectus eludatur, cum nouus decu-
itus ſeri ad pulmones fuerit factus. Sane opii vſus
n omni fere tuſſi, quae aegris rara dat interualla,
naxime conuenit, vt interuallis inde longioribus
ffectis, vigiliae edomentur, et corporis concuſſio-
es, vires admodum frangentes, moderentur, ſomnus
t quies e contrario vires reſtituant, quae mediante
uſſi moderata, poſt ſomnum, facilius ex pectore
liminabunt, quod ſecretum eſt. Praeterea eius co-
ia tunc minor erit, quia ſub ſomno multum muci
d alia organa ſecretoria amandatur. Inter anodi-
na valet etiam quaeuis fermentata opii medicina,
quae iuſta doſi, ſpir. vini camphor. cum ſaccharo
ufficienter edulcorato, inſtillari poteſt, e. g. drach-
mis duabus vel tribus, quod ita opiatum vehiculum,
enſim, per drachmas, vel minus, abſorberi poteſt.
Pediluuiorum vſus, ante ingreſſum lecti adhibitus,
ſaepe anodinorum vicarius eſſe poterit. Anody-
num etiam eſt ſerum lactis cum vino canarienſi iu-
ſta proportione paratum. Pectori anteriori, et co-
ſtis ad hypochondria vsque, ſaepe bono cum effectu,
calide inunguntur pinguedines tenerae gallinaceae,
caninae, vel tales, poſt horulam rurſus extergendae.
Plebeii noſtrates in balneo calido, has partes fo-
uent, ſcopis ex ramis betulae paratis, feruentibus.

§. C.

§. C.

Phthiſis inter primarios ſenum morbos in Actis Med. Berolin. numeratur, licet ſenes a plurimis Medicis a Phthiſi immunes cenſeantur. Pro mea ſententia non adeo familiarem agnoſco Phthiſin ſenibus; quam enim auctores attribuunt ſenibus Phthiſin, illam apparentem tantum fuiſſe, et in inſigni flacciditate, et marcore pulmonum extitiſſe, veroſimile eſt, quem perpetua ex maſſa humorum muci ad pulmones ſecretio, cum inde coniuncto infarctu, effecit: hac autem continua depletione muci, vaſa corporis ſanguinea inſigniter euacuantur, et corpus ſenile emaciatur: adſurgit tandem febris, et anorexia, quae omnia, comite tuſſi, Phthiſeos formam induunt, et ſenem, ſaluis de reliquo pulmonibus, interficiunt. Tales Phthiſes in ſenibus curatas legimus in Ephem. N. C. D. II. A. IV. Obſ. 17. potu aquarum Freyenwaldenſium, et ibid. Vol. I. Obſ. 173. ſenex Phthiſicus acidulis Deinacenſibus curatus eſt. Contra mucoſitatem pulmones aggrauantem, et cum tuſſi, ſenſim dicta ſymtomata, apparenter phthiſica, generantem, commendamus, quae in tuſſi humida commendauimus, acidula, amara reſoluentia, oxymel ſquilliticum, etc. nec non rad. aron. trifol. aquat. et naſturtium; rad. enulae condit. zinzib. condit. etc. Quod ſi vero placuerit vſum aquarum ſoteriarum tentare, vt bibant mane, in lecto, primas portiones, ſuadeo, quo per calorem corporis, omnia colatoria imi ventris peruia teneantur, donec pota aqua diuerticula ſua ad renes commode nacta ſit: ſenes enim, dum motu corporis pertinaci, hunc ſcopum obtinere cupiunt, per virium peſſundationem, et corporis refrigerationem, illo fru-

ſtrantur

ſtrantur facile. Nec iuniores hoc temnant conſilium. Sanabuntur ſenes a tali Phthiſi, niſi aliquid ſcirrhoſi vel in ipſis pulmonibus, vel in glandulis meſeraicis ſubſit, quod diarrhaeas, et febres marasmodes pertinaces inducat, et aegrum iugulet.

§. CI.

Aſthma eſt difficilis aëris inſpiratio, ob pulmonum, thoracis et hypochondriorum vitia contingens. Eſt vel *humidum*, catharro ſuffocatiuo accedens, vel *ſiccum*, hocque 1. vel ex pulmonum et muſculorum arteriae aſperae, quin thoracis per neruos intercoſtales conſtrictione conuulſiua, inde *conuulſiuum* dictum, vel 2. *hypochondriacum* ex flatulentia, vel ex meſenterii turbis conuulſiuis. vel 3. ex polypo et hydrope pectoris enatum. Addi poſſet. 4. *pinguedinoſum*, quale ſeniculae obeſae fuit in Ephem. N. C. Vol. I. Obſ. 90. Aſthma humidum familiarius eſt ſenibus, quam ſiccum, excepto illo flatulento, diaphragma extendente, ad reſpirationis impedimentum. Senibus hoc malum facile accidit, cum iam absque cauſa morbida, et ex ſolo ſenio ſint anheli, et fractae reſpirationis, cum mouent corpus. Aſthmatis ſpecies ex tuſſi coniuncta facile dignoſcitur. Praecipitata ſicca tuſſis conuelli bronchia, pulmones, thoracem imo diaphragma indicat: talis etiam a flatulentia vexatum hypochondrium comitatur. Paroxyzant hae ſpecies interdum et remediis locum dant. Quod hydropem pectoris et polypum pro cauſa habet, tuſſim ſeroſoſanguineam, communiter coniunctam habet. Miſerrimus eſt aegri ſtatus, ſtrangulatio perpetua interdum, facies liuida et frigida, nec non manus; viſus obſcuratio, carotidum arteriarum ſubſultus, et au-

rae, euecto collo, cum ſibilo difficilis reſpiratio. Thorax robore muſculorum propriorum priuatus, colli et humeri muſculorum auxiliis eleuatur, vt arteria aſpera aurae arripiat particulam: in hunc finem nares ſiccas perpetuo madefaciendo. Ex his omnibus cor ad enormem magnitudinem amplificatum reperitur. Orthopnoeam conſtituit hic aſtmatis ſummus gradus, reliqui ſunt paulo mitiores.

§. CII.

Aſthmati humido eandem dicamus medelam, quam tuſſi humidae; addimus tamen adhuc vomitorium, vel ex ſulphure antimon. aurato, tertiae praecipitationis, vel ex ſquilla. Aſthmati flatulento damus remedia, quae ſub flatulentiae pertractatione proficua habebimus. Conuulſiuo contraibunt eadem remedia, quae in tuſſi conuulſiua nominauimus, adiiciendo inunctionem pectoris cum oleo pulegio camphorato, vel impoſitione emplaſtri cuiusdam roborantis antiſpaſtici, e.g. de Galbano, ſi malum a muſculis thoracis et intercoſt. oriri putemus. G. Galbani vſus internus valde proficuus eſt, vt et aſae foet. nec non flores Benzoës. Praeterea, veſicatoria brachiis et cruribus apponantur, pedesque pediluuiis ſalinis, vel lixiuioſis emolliantur, niſi adſint oedemata. Quod ex polypo et hydrope pectoris naſcitur Aſthma, iis cedet remediis, ſi poſſibile, quae ſub eorum titulis commendabimus.

§. CIII.

Catarrhus ſuffocatiuus eſt oppletio pulmonum cum magna illarum atonia, ſubiectis habitus laxioris inprimis contingens. Eſt affectus ſenibus periculoſiſſimus, vti infantibus repletis, quibus etiam, vti ſupra, Capite primo monuimus, familiaris eſt,

quando

quando de conuenientia morborum, vtrique aetati communium, ſermo fuit. Maxime habent, de quo ſibi caueant, qui ſimul podagrae et eryſipelati, laxi habitus familiaribus malis, ſunt obnoxii, quia, quando extremi artus, humorum conſuetas ſtagnationes et decubitus non ſufficienter admittunt, eo vehementiores decubitus ad pectus reuertuntur. Inuitentur itaque in tali caſu inflammationes ad loca conſueta, vel ſcarificationibus, vel venaeſectionibus, in dorſo pedis (quia hae ſaepius, hoc in loco, absque diſpoſitione ad tales inflammationes, inde inflammantur) vel aliis modis. Si autem haec feliciter et cito non ſuccedunt, vel de eorum ſucceſſu deſperatur, remediis efficaciſſimis contra catharrum agendum erit, e. g. oxymelle, vel aceto ſquillitico, ad doſin vomitiuam dato; vel etiam alio vomitorio efficaciae non draſticae, e. g. rad. Ipecacoannae, vel, quod omnia plus vna virtute ſuperat, ſulphur antimon. tertiae praecipitationis, tam ad ſcopum vomitiuum, quam reſoluentem, cuius virtutes diſerte, et indice experientia, in caſu exponuntur, in *Annal. med. phyſ. Vratisl. A. 1721. Menſe Iun. p. 665.* Praeter haec conueniunt clyſteres ſtimulantes, veſicatoria ad brachia et ſuras; nec non frictiones totius corporis. Feliciter autem mitigato, vel fugato paroxyſmo, exhibeantur diureticae et reſoluentes herbae pro infuſo, crocus, pulmonum, ſecundum WEDELIVM, anima, ſperma ceti, et pinguedines animalium, in iuſculis, radicibus et herbis diureticis et reſoluentibus conditis, interpoſito vſu ſpiritu ſalis ammoniaci tonico.

§. CIV.

Polypus eſt lympha in corde, et proximis cordis vaſis concreta, ſanguinis liberum meatum impediens. Laborare illo quosdam ſenes, examen de forma ſenum interna docuit. Credibile praeterea eſt, plurimos ſenes hoc affectu laborare. Quando polypus mole grandis eſt, aſthma inducit, imo hydropem pectoris, quin ſubitaneam mortem, vti in caſu illo, de ſene poſt iracundiam ſubito mortuo, ſupra vidimus. Periculoſiorem iudicamus polypum, qui in dextro cordis ventriculo naſcitur, quia vrgentem a tergo ſanguinem plurimum venoſum retardat, et ſic per eius moram viſcera abdominis infarctibus et obſtructionibus variis tradit. Pulſus in polypo magno eſt exilis et interruptus, tranſit enim parum ſanguinis per ſiniſtrum cordis ventriculum, cuius motum polypus ſimul interrumpit, et cor palpitare facit. Quid conſilii? certe parum. Vbi de hydropis abſentia iuſtum eſt iudicium, venaeſectio repetita, in brachio, leuamen praebet. Omnes praeterea ſenes fugiant animi motus exceſſiuos maxime iram; nec ſanguinem potu et cibo valde exaeſtuantibus exagitent: perſpiratio corporis autem ſalua ſeruetur, et leniter promoueatur. Conf. Obſeru. patholog. therap. de Polypo, Ephem. N. C. Vol. IV. Append. In iisdem Ephem. D. III. A. III. Obſ. 24. refertur caſus feminae, a multis annis dyſpnoea laborantis, quae aſthmate, et tandem orthopnoea laborauit, et obiit. Medicus illam polypo laborare praedixit, *licet nunquam pulſum intermittentem* obſeruauerit. Poſt mortem cor inuentum eſt ingens, cum vaſis coronariis valde tumidis, repletum non

tantum,

tantum, intra ſiniſtrum thalamum, concreto ſangui-
ne, ſed et polypo valde tenaci intra valuulas et co-
lumellas firmiſſime radicato, multos pollices longo.
Quicquid remedii adhibitum, omne incaſſum datum.
Senſus dolorificus cordis, cum eiusdem palpitatione
et pulſu intermittente, etiam quidem polypum ad-
eſſe credere faciunt, interim bene attendendum, an
non illa cordis palpitatio, a diaphragmatis atonia,
vel palpitatione dependeat; indicatur poſterius, ſi
cum oſcitatione accedat palpitatio cordis et adſit
extremorum, naſique refrigerationis ſenſus; hocque
tanto certius eſt, ſi aromatica, et ſpirituoſa, parce
adhibita, medelam afferunt. Leuatur etiam haec
palpitatio a corporis variato ſitu, quae polypum
pro cauſa non habet. Cauſalitatis differentia etiam
adeſt, quando ſub ſomno et poſt ſomnum pulſus
cordis non intermittit, ſed ſolum poſt paſtum tan-
tum, id quod cor, a diaphragmate, per ventriculum
repletum preſſo, tangi indicat; tanto certius nunc
pulſus intermittit, quando arteria magna, et auri-
culae oſſificatae, et ad motum ineptiores redditae
ſunt. Quando autem ſub ſomno, vel poſt ſomnum
non intermittit pulſus, aperte elucet, maſſam ſan-
guineam peripherica vaſa et habitum periphericum
abundantius repleuiſſe, admittente hoc toni ſub ſo-
mno remiſſione, facilius, quam ſub ſtatu diurno vi-
gili, ſub quo muſculorum ſyſtema ad motus volun-
tarios corporis paratius ſemper exiſtere debet: hinc
eſt, quod ſenes a ſomno nocturno placido euigi-
lantes, manus ſuas blande tumidas, et digitos ipſos
complicationi renitentes ſaepe inueniant: in hoc
ſtatu ſomnifero, cor, ab abundantia ſanguinis, ex
dicta cauſa liberum, placidius agit, licet et vitio do-

meſtico, oſſificatione arteriae vel auricularum, vel ipſo polypo, modo non magno, non careat.

§. CV.

Hydrops pectoris ſua ſigna habet ex aſthmate, tuſſi vel ſicca, vel ſeroſo-ſanguinea, tumore manuum, pulſu exili, et interrupto, quando polypus cordis ſimul adeſt, et ex volutatione ſeri ad latus, in quod corpus conuertitur. Oritur hydrops pectoris vel ex polypo, circulationem ſanguinis in pulmonibus retardante, vt vaſa lymphatica, quae comitantur venoſa, rumpantur, vel ex lymphae vniuerſali ſpiſſitudine, et in hoc caſu, (licet primordialiter, ex ſpeciali conſtitutione, et diſpoſitione, pulmones occupauerit,) ad abdominis viſcera poſtea tranſit, et interdum aſciten format. Quando de polypo ſuſpicio adeſt, minor ſpes auxilii erit, quam ſi ſolus eſt hydrops pectoris, contra quam remediis agendum, vſu felici iam probatis, maxime gummi ammoniaco et ſquilla, nec non diureticis vegetabilibus, enula, pimpin. petroſel. apio etc. de quorum felici operatione, lege in variis caſibus Ephem. Nat. Cur. et in Actis Med. Berol.

§. CVI.

Haemoptiſis ſenum, eandem vaſorum debilitatem, imo circa valuulas venarum ortam varicoſitatem, in pulmonibus, pro cauſa habet primaria et proxima; quam ſimiliter in examine haemorrhagiae narium allegauimus. Hoc in ſenum haemorrhagiis ſingulare eſt, quod non fiant ſubito funeſtae, vti id in iunioribus ſaepius accidit; interim hoc periculo, plenarie, non carent, inprimis in grandaeuitatis annis, vel ſi varicoſum quid grande, vel aneuriſmaticum in culpa fuerit. Praeterea, ſenum haemorrha-

gias

gias immodicas facile hydrops ſequitur. Colludit magis fere haemoptyſis, quam narium haemorrhagia, cum pathematibus haemorrhoidalibus, et inde natis affectibus hypochondriacis. Hirudines itaque tunc, ano applicatae, proſunt, vbi per aloën, vel ſuppoſitoria conuenientia, et fotus prouocari nequeunt. Certe, quae cum ſiniſtro hypochondrio conſentit haemoptyſis, ſtagnationem ſanguinis in liene et hepate manifeſto indicat, et haec eſt eius cauſa maxime familiaris.

§. CVII.

Feliciter ſane, et maxime congrue fluxus haemorrhoidum illam ſanat. Vbi autem hic fluxus non contingit, diſcuſſionem huius ſtagnationis per concuſſionem vaſorum viſcerum, mediante vomitorio prudenter adhibito, propono et ſuadeo, dum absque febre adhuc ſunt haemoptyici, et orthoſtadii, et quidem vnice ex radice Ipecacoanhae. In iuuenibus plus vna vice, quam feliciſſime, hoc remedio vſus ſum: quoad ſenes, fateor, me vnica vice ſexagonariae cuidam macrae, et de cetero bene valenti, hoc vomitorium, bono cum effectu dediſſe. Inductus fui talia tentare, ex obſeruationibus, quod haemoptyſis ſaepiſſime colludat cum infarctibus viſcerum abdominis, ſtagnationes ſanguinis in pulmonibus cauſantibus, et ſecutus ſum aliorum experientiam fortuitam, et inde, de nato bono effectu, mihi formatam ideam. Sic in Ephem. N. C. D. II. A. V. in App. proſtat caſus feliciſſimus, ex vomitorio improuide catharcticis iuncto, et ibid. Cent. VI. Obſeru. 57. nec non, Vol. II. p. 444. Haemoptyſin, licet recurrentem, non obſtare ſemper progreſſui ſenectutis, et ſcimus, et legimus in dictis Ephem.

 Vol.

Vol. IV. Obſ. 117. Ideo, ſi vomitoriam methodum reiiciendi ratio adeſt, nutrientibus, ſubauſteris, mucilaginoſis, agendum eſſe, cum Obſeruatore, ſtatuimus. Quin, cibis glaciatis, in haemoptyſi effera; cum circumſpectione autem, ne vel ſingultus, vel lypothymici quid ſuperueniat, cardiaci, ſpaſmus, vel atonia. Ferre quosdam ſenes, imo amare frigida, circa potum et obſonia, ſupra vidimus. In ſeneſcente quodam, pectoris toroſi, ſtupendum ſcimus effectum, in haemoptyſi effera, ex abſorbtis copioſis glaciei particulis, ex aqua fluuiatili, glaciata hauſtis; interpoſita ſimul venaeſectione. Valet adhuc per triennium bene hic haemoptyicus, nullam cereuiſiam, ſed vinum Pontac, parum lymphatum, bibens. Quantum auxilium tulerint cibi glaciati in vomitu cruento, prima vice, lege in Commercio Lit. Nor. 1733.

§. CVIII.

In *Pleuritide* vomitoria vſum habere legimus apud multos Auctores, de qua re variarum ſententiarum collectionem habemus in Annal. med. phyſ. Vratisl. A. 1725. menſe Mart. p. 294. et A. 1726, menſe Iul. p. 49. quo vltimo loco caſum quendam inſtructiuum quidem, at pro re ibi nata, non imitandum habemus. Vomitoriorum vſum, ſi bonus effectus ſequitur, ille non, niſi diſcuſſione ſtagnationis deducendus erit. Mihi, in pleuritide, ob febris inflammatoriae diſcuſſionem iam parantis, praeſentiam, vomitoria adhibere nunquam arriſit. Interim lege §. ſequ. De cetero effectus vomitoriorum in his morbis idem eſt, qui ſternutatoriorum: quis enim, mediante omnium reſoluentium medicamentorum farragine tantum muci in pectore, et circa

caput

caput reſolueret, quantum ſternutatoriis extrudi obſeruamus: nec ſola promotio ſtagnantis ſanguinis, vel protruſio muci rem abſoluit, ſed ſimul illud, quod tunc feliciter ſuccedit, toni partis affectae priſtinum robur. Polypum quidam dicebat ſe ſentire, interdum, ex ventriculo cordis ſiniſtro in auriculam promoueri, et palpitationem cordis tentare, quem, per tuſſim concutiendo, in priſtinum locum ſemper repellebat. Concuſſionem viſcerum abdominis, in morbo affini, Phthiſi, SYDENHAM, cum multis aliis Practicis, per equitationem commendat, nec male; reſpondere autem hanc raro grauitati infartuum, in abdomine, in hoc malo ſemper praeſentium, quis non obſeruat! Interim, quibus vſus vomitoriorum in pleuritide non videtur imitandus, illis venaeſectio eſt commendanda, (attendendo ad longaeuos, vel prope tales, §. XXVII.) et quidem, pro mea ſententia, in latere affecto, (nam et hic diſſentiunt Practici) attendendo tamen ſimul ad monitum, quod reperitur in Annal. Vratisl. Erfort. 1729. non eſſe ſecandam venam, quando primo die ſputum cruentum plus minus liberum iam adeſt. An laxans primis viis conueniat per os ſumendum, vel an clyſter habeat vſum, pro re nata iudicandum erit. Oleum paregoricum camphoratum loco dolenti competit illitum, vel cataplaſma quoddam conueniens. Spem ſalutis dant: bona reſpiratio, ſputum cruentum flaueſcens, pulſus magnus, leuiter febrilis, et vrina cum debito ſedimento. Interdum inflammationem ſequitur ſuppuratio; quae ſi non magna eſt, et ſi pus coctum per circulationem ad maſſam ſanguineam non mox amandatur, vt per organa excretoria abdominis, aluum vel veſicam, eliminetur, malum:

empyema enim inde naſcitur. Criſin talem purulentam, cum ſtranguria, aliquando obſeruaui in ſexagenario.

§. CIX.

Pleura - peripneumonia multi ſenes robuſti, quadrati, et plethorici pereunt. Sanguinis accumulatio ex victu, quem ventriculi bona conditio appetit et digerit, arteriarum ſenilium ſolideſcentia, et venarum laxitas, imo varicoſitas, facile colligere faciunt, quomodo ſtagnationes ſanguinis, vti in abdominis viſceribus, ita in pulmonibus et circa pleuram naſci poſſit. Eſt morbus ſenum ſaepiſſime acutiſſimus, inprimis, quando exſcreatio copioſa muci, florido ſanguine tincti, cum febre vehementi coniuncta eſt. Niſi venaeſectio tempeſtiua, et pro re nata, iterata, vel feliciter adhibitum vomitorium ex Ipecac. vel ſecundum caſum Ephem. Nat. Darioſ. Vol. II. p. 144. ex ſulph. aurat. antim. tertiae praecip. clyſteresque, euidens ſuggerant auxilium, aegri quinto vel ſexto die moriuntur. Sociatur enim interdum catarrhus ſuffocatiuus, et tunc vomitoriorum vſus valet, quae in pleuritide ſimplici dare haeſi, ne febriles naturae motus turbarentur, et quia in pleuritide tale ſymtoma vrgens communiter non adeſt. Quando autem etiam in hac imminet ſuffocatio, vti in Ephem. Nat. Cur. Cent. X. Obſ. 41. in puero adfuiſſe, et vomitorii vſu, vomitum purulentum, cum inſecuta ſanitate aegri, excitatum fuiſſe, refertur, tunc etiam in pleuritide ſuffocante, vomitorii vſus non erit reiiciendus. Per diarrhaeam purulentam pleuro-peripneumoniam terminatam eſſe, Ephem. Nat. Cur. Cent. VIII. Obſeru. 56. docent.

§. CX.

§. CX.

Tranſeo nunc ad *imi ventris viſcera* per ſenium vitioſa et morbida reddita. Ventriculus ſenum laborat interdum *Anorexia*, quae quando cum ſymtomate ſoporoſo coniuncta eſt, ex cerebro conſenſualis et ſymtomatica iudicanda erit et periculoſa: quando autem ex vitio idiopathico ventriculi nata eſt, e. g. liquoris gaſtrici vappiditate, cruditatibus, et atonia ventriculi, etc. medelae tunc eſt amplior locus. Faciunt hic egregie varii muria conditi, et aromati ſati fructus, ſinapi, ſuccus citri, berberes, acetoſa, imo acetum ſquilliticum, ſpiritus ſalis guttulae quaedam, ex vino Rhenano hauſtae, Elix. Vitrioli Mynſ. et talia. In victu ſint interdum tenerae carnes, linguae bouinae fumatae, imo piſces pingues fumati. Aliquoties in anorexia, cum vomitu, in qua nulli a ventriculo ferebantur cibi, rhombos noſtros fumatos proficuos vidi; et qui teſtem huius virtutis rhomborum noſtrorum cupit, legat ELSHOLZIVM in Diaetetico. Porro nodulus ex rad. enulae, pimpin. alb. armoracia, herba naſturtii, cochleariae etc. cui addatur rhabarbarum ſcopo laxatiuo; qui nodulus in cereuiſia, vel etiam in vino per aliquot dies digeratur, et pro re nata de illo bibatur, mane, vel hora ante prandium. Nec reiiciendae ſunt pilulae aloeticae interpoſitae, vel aloës hepat. tartaro vitriolato iuncta. Qui ſenes hauſtum frigidae matutinum capiunt, et ferunt, minus illi ab anorexia tentantur; ad longaeuitatem etiam conferre quidam volunt, roborando ventriculum et cruditates reſoluendo. Non equidem, ſupra, circa formam internam ſenum, indicatus eſt ventriculi et inteſtinorum ſpecia-

lis

lis ſtatus; attamen, facile apparet, quod, quando haec, in gradaeuitatem vsque, temperantia in victu obſeruata, in ſtatu exquiſite bono conſeruantur, iis bene miniſtrantibus, ſanguinis perdurans bona craſis longaeuitatem ſperare faciat. Opus autem eſt, vt ſub bona liquoris gaſtrici conditione, quae ſaepe in grandaeuis latrare facit ventriculum, hunc plus iuſto latrare caueant, ne per latratum ſopientes multos cibos incipiens fibrarum atonia augeatur, liquor gaſtricus alteretur, et ciborum indigeſtioni anſa praebeatur, vnde anorexia et qui ſequuntur morbi. In menſa frugali ſalubritas ſenum. Anorexia diu perſtans, maraſmum inducere ſolet.

§. CXI.

Vomitus, qui ſenibus ex cibis concoctu difficilibus, nouiter ingeſtis, vel ex potus quantitate, vel inſalubris cuiusdam qualitate oritur, bonus eſt: vbi vero cum anorexia iungitur, eiusdem eſt periculi cum anorexia, ipſi conſenſuali, de qua iam diximus. Conueniunt remedia in anorexia commendata, nec non rhabarbari tinctura aquoſa, aqua menthae, prae multis aliis autem, vinum Rhenanum, cinnamomo tinctum et ſaccharatum, cochleatim ſumtum. Vomitus, ſi ſunt bilioſi, rhabarbarum cum cremore tartari, fine euacuandi ſumatur, vt bilem exaeſtuantem, et in duodeno haerentem, euacuet: in hoc vomitus genere frigida pota prodeſt, parce hauſta. Qui ex nephritide, et calculo oritur vomitus, ſuis indicatur ſignis, et partim remediis antiſpaſmodicis, partim facta excretione calculi ſiſtitur: non eſt autem directe huius loci.

§. CXII.

Flatulentia eſt incommodum ſenum ſonticum, ex quo non ſolum vigiliae, aſthma, vti ſuo loco notauimus, ſed et alii morbi, terrificaque inſomnia oriuntur. Naſcitur in ſenibus ex flacciditate ventriculi et inteſtinorum, nec non humorum, in illis, ad bonam ciborum digeſtionem, et chyli nutribilis, a feculento ſeparationem deſtinatorum, inertia; vitio ſcilicet liquoris gaſtrici, ſucci pancreatici, bilis, et muci inteſtinalis, etc. Opus itaque eſt talibus remediis, quae fibris flaccidis tonum reddunt, quae inertiam humorum corrigant, et ſufficientem illorum ſecretionem promoueant, vt in his omnibus naturalis officiorum gradus conſeruetur, ne alia mala grauiora inde progerminent.

§. CXIII.

Non ſemper totus inteſtinorum tractus a flatulentia afficitur, ſed ſaepiſſime vnum vel alterum inteſtinum, ſiue tenue, ſiue craſſum, et tunc inteſtini vicini fibrae magis conſtringuntur, motus periſtalticus fit irregularis, hic illic intenſus, et dolorificus, ſub colicae et paſſionis iliacae titulo; quae omnis conſtrictio periculoſior eſt, ſi inteſtinum rectum et eius ſphincterem corripit, vt flatibus nullus plane pateat exitus. Quibus autem ſenibus, ani ſphincter, vti communiter ſolet, laxior eſt, et flatibus fores pulſantibus obediens, illis raro naſcitur graue a flatulentia incommodum. Notandum praeterea, quod, quemadmodum fibrae inteſtinorum ex flacciditate, a ſanguine, et humoribus ex illo ſecretis inertibus nata, flatulentiam admittunt, ita e contrario, ex ipſius boni ſanguinis in vaſis inteſtinorum ſtagnatione flatulentia oriri poſſit, nam ſanguis bonus,

ela-

elaſticus, ſtagnando abundans, vaſa diſtendit, et ſi vrget, et vrit fibras inteſtinorum, vt in perpetua ir regulari actione et gyratione, ad ſpaſmos dolorifi cos vsque, ſub *colicae haemorrhoidalis* nomine; cu ius jam aliqualem mentionem ſub vigiliis fecimus mox amplius de illa acturi.

§. CXIV.

Quae in priori flatulentiae genere proficua eſſ ſcimus, ſunt inprimis amaro auſtera, e. g. poma au rantiorum adhuc immatura, cortex peruu. caſcaril lae, rhabarbarum, variis formulis, pro aegri idioſyn craſia adhibita, vel in ſubſtantia maſticata: haec enim non ſolum fibras roborant, ſed et vitia humo rum corrigunt. Profunt praeterea ſalia neutra, ſa lia herbarum alcalina, abſinthii, Card. b. etc. nec non cremor tartari, inprimis chalybeatus, ex marte praeparata varia, imo ipſa limatura martis, parce ſumta. Conducunt etiam ſpiritus quidam minera les mitigati, e. g. ille de tribus, ſpiritus nitri dulcis liquor min. anod. Hofm. qui pro re nata magni vſus ſunt. Valent etiam Tinctura tartari, antimo nii acris, Eſſ. pimp. albae, et aliae ſic dictae carmi natiuae. Memori interim ſimul mente tenendum quod de ſenſibilitate ſubiectorum, quoad medica menta ſpirituoſa in articulo de Syncope monui: quando de illa vel ſuſpicio, vel indicatio adeſt, ad hibeantur potius medicamenta cum menſtruo aqueo ſalino parata, vti Hofm. Elixir ſtomachale, ex extra ctis amaris, liquore terrae fol. tartari, et aquis de ſtilla conſtans.

§. CXV.

De vſu oleorum deſtillatorum carminatiuorum non multum laudauero, niſi parcum et prouidum illo-

illorum vſum, exceptis, oleo citri, ex corticibus, ſub nomine *Cedro* elicito, et oleo abſinthii deſtillato, genuino, tincturis alcalinis maritalis, vel ſolis in ſaccharo, pulueribus. Laxantium vſus his omnibus addendus eſt, quando alui ſegnities adeſt, inprimis rhabarbari et aloës; illud ſub tincturae aquoſae forma, haec in puluere cum tartaro vitriol. Tach. et magneſia, mea methodo, ſi pilulae Beccheri-Stahlianae vel tales, parca doſi ſumtae, non ſufficiunt. Clyſteribus, ſi laxantium operationem promouere neceſſe eſt; illi autem quantitatem vnciarum ſeptem non ſuperent, quia hae ſufficient, vel ſtimulando inteſtinum rectum, vel relaxando ſphincterem, cum largiores facile alte in inteſtinum colon abſorbeantur, et quando hoc flaccidum eſt, moleſtias multas in illo creare valent, inprimis ſi conſtent ex ingredientibus fermentantibus: ſufficiet ſolutio Extr. Panchym. Croll. vel aliud purgantis, moderata doſi, in aqua facta, ſale gemmae acuata, addito quodam oleo cocto.

§. CXVI.

Diaetae in regulis mangna vis eſt in flatulentia. Cereuiſiam, licet fortis, et bene cocta et lupulata ſit, calore ventriculi et inteſtinorum, fermentatione noua inducta, flatus generare, a multis experitur; quin et vina dulcia, licet generoſa, flatus, noua tali fermentatione producunt, pinguis enim, quae illis ineſt dulcedo, ex qua lac ſenum nuncupari merentur, facile nouam ſubit flatulentam fermentationem. Conuenit itaque potius vinum acidulum, generoſum, lymphatum, imo ipſum rubrum Gallicum, Pontac dictum, vel aliud ſubauſterum. Interim, qui cereuiſiam bibere cupiunt, ſat lupulatam bibant,

more

more Curonico et Liuonico coctam, i. e. ſilicibus magnis candentibus, malto iniectis, digeſtam, vtpote leuioris craſeos inde fientem, quam illa, quae per coctionem concentratur, et inſpiſſatur, antequam fermentationi traditur. Faciunt huc et ſemina carminatiua, aniſi, carui etc. ſaccharo obducta, cibis reliquis ſupercomeſta. Ante omnia autem modus tenendus in ciborum et potus ingeſtione, et reiicienda ſunt, a quibus aeger flatulentiam vel minimam expertus eſt. Cibi ſufficiente aromate, ſalino, vel alio, e. g. zinzibere, pipere, ſinapi etc. parentur, non neglecto ſucco Citri, muria Limonum. Nec improbamus lactis modicum, ſimplicem vſum pro cibo. Qui hauſtum ſpiritus vini ante paſtum ferunt, illi flatuum generationem etiam ex hoc impediunt: cum enim cibi ſtatim ſuperingeruntur, omnis exaeſtuans elaſticitas mox a cibis mitigabitur. Potus aquoſus calidus flatulentis non confert; nec iuſcula multa: conferunt magis cibi ſolidiores, ſaliti, eupepti. Dilucidationis ergo, en caſum ſonticum: Vir annorum 69, habitus laxi, a flatibus multum vexatus, tuſſi et anguſtia reſpirationis laborabat, bene tamen comedebat, et cereuiſiam potabat pinguem: cum eructatio flatuum aliquando ceſſaret, dyſpnoea augebatur. Tamen adhibita tonica, cum interpoſitis laxantibus, incommodum hoc leuabant, et ſub hoc leuamine maior ſecretio vrinae fiebat, valde ſaturatae. Suadebatur ipſi potus vini Rhenani, vel Pontac lymphati, loco cereuiſiae; ex hinc per aliquot menſes ipſi melius, vt non niſi ſub ſcalarum aſcenſu difficiliorem reſpirationem ſentiret. Interim rheumatiſmo leuiori humeri ſiniſtri corripiebatur, muſculum pectoralem in libero officio impediente:

ſuadeba-

ſuadebatur humeri ſcarificatio in balneo; fit hoc; egreſſus e balneo, aluum vult deponere, deponit, ſed mox lypothymia corripitur, refocillatur ablutione faciei cum vino Rhenano, aegerque proprio conſilio puluerem antiſpaſmod. STAHLII ſumit, quem vomitus ciborum coctorum et crudorum ſequitur: optime inde aegro; victus regimen tamen poſtea idem. Flatus ope pilularum Beccher. feliciter pelluntur: aeger nunc vinum, Eremitage dictum, nunc Hungaricum, vel Luſitanicum, moderate tamen bibit. Sub his omnibus tamen virium lapſus. Poſt 14 a dicta lypothymia dies, cum bono cum appetitu prandium ederat, et cum amicis obambulauerat, aluum depoſiturus ſellam petit, depoſita aluo, a ſudore perfunditur, ſurgit, dicens: bone Deus, quanta mihi cum ſudore debilitas, mox autem conatibus vomendi corripitur, euomit cibi et vini rubri parum, corruit in manus cuiusdam adſtantis, et ſub repoſitione in lectum, exſpirat. Conf. §. XL.

§. CXVII.

In BARTHOLINI Actis Med. Hafnienſ. Vol. I. recenſetur hiſtoria de ructibus, a leui frictione alicuius partis corporis euocatis: quae encheireſis anſam mihi praebet, non ſolum illius mentionem faciendi, qua ſiniſtri hypochondrii compreſſione manuali, inteſtini coli, tortuoſi domicilii, flatus pelli ſolent, ſed et alius, qua manu admodum calida, oſſi ſacro fortiter inducta, flatus ex inteſtino recto fugantur. Sunt, qui tantam virtutem manui calidae non perfecte confidunt, et hunc effectum, mediante ſartorum ferro complanatorio, intenſe calido, producunt. Alia adhuc apud Liuoniae Lettos, vicinosque valet methodus, dum aegri, in dolore oſſis ſa-

cri, quem a flatibus oriri putant, quendam, in oſſe ſacro, genubus ſibi ambulare iubent, et quidem communiter in balneis, poſt adhibitum fotum: quam methodum Sereniſſimus quidam ita mutauerat, vt a nani cuiusdam calcaneis os ſuum ſtringi fecerit, duplici titulo ſacrum. Credibile eſt, hac methodo euocari flatus ex ipſo inteſtino colo.

§. CXVIII.

Colica ſaepe infeſtat ſenes grauiſſime et periculoſiſſime. Tono inteſtinorum deficiente, et ſubſtantia illorum extenuata, vt vaſa ſanguifera in illis adeo manifeſto appareant, vti ipſis in oculi tunica adnata communiter apparent, quid mirum, ſi conſtrintantur mox ſpaſmo, mox diſtendantur flatibus, tanto ſaepe cum dolore, vt vires viſibiliter deſtruantur. Sit autem ſpaſmus, vel flatus, vel humor bilioſus, vel feculentus, colicae cauſa, vel vti in §. praeced. monuimus, infarctus ſanguinis haemorrhoidalis; vel ſit colica nephritica, vel adhuc alia, caute eſt tractanda ſenum colica, et dolorum ſopitio caute eſt inſtituenda; per euacuantia ſcilicet, per os et anum adhibita, quando vel flatus, vel humores in cauſa ſunt, et per antiſpaſmodica, vbi ſpaſmus, nephritis et infarctus haemorrhoidalis colicam excitauit, licet et in his ipſius ſanguinis euacuatio, per venaeſectionem, neceſſaria ſit. Ephem. N. C. D. I. A. III. Obſ. 82. recenſent caſum notandum grandaeui cuiusdam, qui opiatis largiter tractatus, ex illis obiit, et, cum pancreate vlceroſo, ſphacelum per omnia inteſtina poſt mortem praebuit. Equidem pancreati vlceroſo primariam mortis cauſam adſcribimus; interim iuſta ſuſpicio manet de adproperata morte per immodicum opii vſum, excretionem materiae

vlcero-

vlceroſae et bilioſae ſufflaminantem. Prudentius ibidem Obſ. 150. alius grandaeuus a colica ex retentis fecibus, curatus eſt, nempe purgante ex colocynthide, in petia ligata, ol. amygd. d. et manna, poſt iniecta enemata, adhibitis. Certe, licet enemata, tam emollientia oleoſa, quam ſtimulantia fortiora, ipſa aqua benedicta Rul. acuata, in colica ex fecum obſtructione, egregii ſint vſus: tamen bonum et adaequatum purgans, ol. amygd. dulc. vel etiam alii expreſſo nuptum, totam rem adſoluit.

§. CXIX.

Aliter ſe res habet in *colica flatulenta*, vbi nec purgantia, nec clyſteres repetiti multum valent. Melius agitur aloë et rhabarbaro, ſali tartari, vel neutro, vel cremori tartari iunctis. Nec manna, vtpote fermentans, detur, niſi comite ſufficiente cremore tartari. Exhibeantur praeterea eſſent: pimpin. ſcordii, caſcar. cort. aurant. ſpiritus carm. de tribus etc. parce repetitis doſibus in vehiculo aquoſo, tepido. Nec reiiciendum lac dulce, cum floribus chamomillae coctum, addito nitro, ſufficienter. *Spaſmodica colica* maxime caſtoreo, camphora, galbano, et talibus, parciter additis opiatis; nec non clyſteribus, a galbano, caſtoreo, aſa foet. parum animatis, curatur: ipſum iam iam commendatum lac conuenit. Nec reiiciendus eſt vſus iuſculorum pinguium, crocatorum, imo oleorum expreſſorum, quin, quod omnia ſuperat, in hac colica, antiſpaſmodica, ipſius adipis liquidae balenae, cochleatim ſumtae. Valent et hic, vti in omni fere colica, pediluuia calida.

§. CXX.

Colica nephritica, ſtranguria, cum dolore tractum vreterum ſequente, notata, (nam omnem fere colicam interdum comitatur ſtranguria) acido citri, et oleo amygd. dulcium, cum aquis appropriatis mixtis lenitur: maxime vero illo, ab aliis iam commendato clyſmate, ex oleo lini, et vino generoſo dulci. Nitri vſus et hic multum valet: conuenit et venaeſectio in pede; quam tamen primario poſcit *colica haemorrhoidalis*, vti etiam hirudinum applicationem ad anum, cui interdum intrudantur ſuppoſitoria aloëtica, interpoſitis fotibus. Clyſteres ſimul debent iniici emollientes, nitroſi.

§. CXXI.

Enumerando (§. CXVIII.) colicae ſpecies, addidimus haec verba: *adhuc alia*, et ideo recordamur adhuc alius, nempe *apoſtematicae*. Grauiſſima omnium haec eſt, reſpectu periculi: bidui enim ſpatio ſaepe hominem tollit, periculo, ſane, ſic reliquas ſuperans. Formant hanc colicam abſceſſus lenti, (et ſi quid licitum eſt in tranſitu dicere, puerperis iunioribus ſaepe ex grauiditate tales abſceſſus remanent, poſt paucos menſes, ſub colicae larua praeuia lethales) in inflammationem praecipitanter ſuppuratoriam tranſeuntes. Vbi pus commodum exitum per inteſtina acquirit, et ſimul vires vitae bene conſtant, res interdum feliciter cedit: vbi vero vel ipſa inflammatio ſuppuratoria imperfecte fit, et in gangraenoſam abit, vel puri exitus non datur, res funeſta euadit. Suſpicionem autem huius colicae in ſenibus facit Eryſipelas crurum praegreſſum, vel ipſa inflammatio podagrica praegreſſa, et dolor colicus fixus, in certa regione abdominis. Tales caſus in

iunio-

iunioribus obſeruatos adducere facile eſſet, ſed proferam caſum in ſene obſeruatum, vbi de veſicae morbis ſermo erit, quia funeſtus ipſi ex hac colica generabatur veſicae affectus, vel ſub larua veſicae affectus (§. CXLVI.) Quae interim in tam graui morbo, ex vſu eſſe poſſint remedia, ſunt valde ancipitia. Si non vrget affectus, venaeſectiones in pede, pro viribus repetitae, proſunt; itemque nitroſa, largiter per os et anum exhibita. Pediluuia hic non valent, quia ſanguinem exagitant, niſi ſint valde tepida. Poſſet huius loci eſſe *paſſio iliaca*, quae ſenibus quibusdam hernioſis conuenit, ſed referendus eſt hic morbus ad praegreſſam colicam feculentam, et adhibenda ſunt remedia, quae vires ſeniles permittunt, ex farragine ita dictorum remediorum heroicorum, in tali caſu vſualium. Conf. et §. ſequ.

§. CXXII.

Alui obſtructio in ſenibus, interdum ex parcitate muci inteſtinalis, et bilis coniuncta inertia oritur. Contingit communiter iis, quibus ante ſenium iam adfuit alui ſegnities: quin iis, qui a coena abſtinent; conducibiles autem experti cibi, inprimis ex carne parati, moderate ſumti, ſuſtinendo motui periſtaltico fauent. Inſolita ſcybalorum excretio obſtructionem ſaepe praecedit. Si pertinax eſt obſtructio alui ſenilis, ſontica res eſt, quae, niſi lenioribus repetitis laxantibus, e. g. Electuario lenit. Flor. medicamento non ingrato, parce, ſed ſaepius exhibito, cum interpoſitis oleoſo-dulcibus, et clyſteribus largioribus colocynthiacis (oleo colocynth.) ſoluitur, quia inteſtina ſenum purgantibus fortibus, qualia obſtructio alui pertinax requirit, non ſunt paria, periculi eſt pleniſſima. Diſtenditur ſaepiſſime a fe-

cum infarctu inteſtinum colon, ad atoniam, ſphacelum inducentem vsque: ſphincter ani tunc fruſtra laborat teneſmo, nec iniectos retinet clyſteres, quin aliquando miſeri vomitus iliaci, inprimis in ſenibus ventricoſis, quibus capacia ſunt inteſtina, ſequuntur: retinent enim, nati ex atonia, ſacculi feces, foramina ſphacelata in inteſtino ſaepe generantes. Quando ex ſenſu ponderis in regione coli ſacculorum oritur ſuſpicio, tunc non ſolum laxante blandiſſimo, Electuario lenitiuo, vel aloë, benigniſſima inteſtinorum amica, hepatica, vel experta alia in pilulis, parua, ſed repetita doſi agendum, et corpus in rheda mouendum, ſedendo, vel interdum decumbendo, quo ſacculi, a laxante vellicati, facilius feces promoueant. Quae ex vitio veſicae, *ſtranguria* dicta, oritur alui obſtructio, illa leuata, haec euaneſcet.

§. CXXIII.

Praeueniant ſenes itaque alui ſegnitiem, ne in talia cadant pericula. Longaeuo 130 annorum, cuius cap. I. mentio facta, vel aliis talibus paulo minorum annorum, obſtructiones alui magis naturales ſunt, nec periculoſae; parcitas enim ciborum non aggrauant inteſtina; ex liquidis enim communiter vitam ſolum trahunt. Septuagenariis, et octogenariis itaque maiores parant inſidias. Vtantur itaque in victu oleraceis, atriplice, farinaceis, pane ſecalino, inprimis ex ſecali aeſtiuo, quem lubricare magis aluum praedicant, qui alui ſegnitie laborant. Nec non braſſica muriatica, cum pingui brodio carnis bouinae cocta. Cereuiſiam bibant mollem, parum lupulatam, vel non lupulatam, triticeam, auenaceam: ſumant hauſtum vini Hiſpan. dulcis.

Come-

Comedant in prima menſa, quae aluum lubricant, ficus, pruna macerata, poma aſſata, cocta: interponant cibis gelatinis fructuum horaeorum, et baccarum variarum. Abſtineant ab aromatibus cibisque fumatis, ſiccis, piſcibusque; halece ſalita recenti, ſardellisque exceptis. Lubricant etiam pinguedines ſalitae, ſuillae, anſerinae, etc. Valent et hic, ad tuſſim commendatae medicinae faſtidioſae derogationes. Interponantur praeterea clyſteres emollientes, adiecta 3tia, vel 4ta parte cereuiſiae, pro amico ſtimulo.

§. CXXIV.

Diarrhoea ſenilis oritur in ſenibus *quibusdam* a muci inteſtinalis copia, vti huius iamiam indigitata parcitas obſtructiones parit. Praeterea, orta ex ſenio, inteſtinorum laxitas ad diarrhoeam cooperatur; et hoc tanto magis, quando talis conſtitutio inteſtinorum, ex habitu indiuiduali, iam ante ſenium adfuit. Separatur in aetate ſenili communiter maior muci copia e maſſa ſanguinea ad organa deſtinata, quam in aetate praegreſſa: hinc in ſenio maior muci narium, faucium, bronchiorum, et inteſtinorum, pro indiuiduali conſtitutione, ſeparatio: cui poſteriori, ſi iuſto tempore obex non ponitur, et eius moderatio non formatur, diarrhoea habitualis facile inde emergit, inprimis in feminis, quae, vti varia oeconomiae corporis, per menſtruationes et puerperia, viciſſitudine, vita ſedenteria, cum parco potu, ad obſtructiones alui pronae ſunt: ita etiam ſaepius, ad muci inteſtinalis copioſas ſecretiones, et ad diarrhoeas procliues ſunt. Taceo, quod ad illas magis diſponantur, per potus acidulos refrigerantes, ciboſque dulces et lubricos, quos prae

maribus amant. Vetula quaedam tanta laborabat copia muci inteſtinalis, et quidem cum torminibus perpetuis, vt tres vel 4 clyſteres non ſufficerent euacuando muco, et moderandis torminibus. Mucus ſaepius aequabat illi pellucido, qualis interdum ex inteſtino recto, ſaepius autem ex inteſtini tenuibus ſecernitur: interdum tunicae inteſtinalis ſimiles membranae cum multis torminibus deiiciebantur, et illam in Ephem. N. C. D. III. A. IX. Obſ. 60. et apud Auctores alios notatam diarrhoeam carnoſam formabant. Proderant interdum infuſa herbarum, veronicae, meliſſae, agrimoniae: nocebat cereuiſia.

§. CXXV.

Antequam medicamenta contra diarrhoeam commendamus, monendum, vt iudicetur, an diarrhoea ſenilis ſit forſan critica, et maius forſan leuet malum, an ſymtomatica? notum enim eſt, diarrhoeam ſaepe fieri multorum morborum, e. g. melancholiae hypochond. haemorrhagiarum omnium, hydropis, in qua ſunt viſcera ſalua, arthritidis, etc. leuamen magnum. His animaduerſis, extra notiſſimam methodum curatoriam, non habeo, quod exſpatier. Poſt laxantia temperata, rhabarbarina, opiatis, et adſtringentibus agendum, nec non aromaticis, inprimis galangae radice, paucis granis admixta; quae vti communis, ita vtilis methodus eſt. Diaeta ſit aromatica, et illi contraria, quam mox in alui obſtructione commendauimus. Non omittendus hic caſus Ephem. N. C. D. II. A. VI. Obſ. 45. referens diarrhoeam ſenis lethalem, ex vlcere, inteſtinum rectum perforante. Vidi aliquando diarrhoeam lethalem pueri ex perforato inteſtino duodeno. Cui denique ſenum ſors aſſignata eſt ex diarrhoea diem

ſuum

ſuum claudere, ille tot atrocia non patietur ſymtomata, quam qui ex obſtructione alui occumbit.

§. CXXVI.

Nephritis calculoſa ſaepe infeſtat ſenes ex improuiſo, cum vel latuerit iam, per annos quosdam, calculus renalis, vel ſenio ineunte ex muco induratus fuerit. Digeſtione ventriculi in ſenibus imminuta, vt cibis acido-ſalinis illam reficere opus habeant, quid mirum, ex nato inde ſanguine mucoſo-ſalino remanere in organis ſecretoriis materiam calculi? creſcit talis mucus facile in conſiſtentiam calcaream, qualis in dentium ſuperficie, ſub *tartari* titulo, notus eſt. Ipſa ſola mala digeſtio ventriculi, absque victu acido-ſalino, mucum, calculi matricem, generare poteſt. Accedit haec nephritis communiter, cum horrore febrili et aeſtu inſequente, paroxyſmo vehementi; accedunt dolores in regione renali, moxque vomitus, et ſtranguria ad calculum. Sciendum autem Eryſipelas interdum Nephritidem mentiri; nec non ſtaſin inflammatoriam ſanguinis inteſtinorum, cum teneſmo, idem facere. Attentione itaque opus eſt, et ſignis pathognomonicis. Haec autem ſub initiis paroxyſmi raro ſe produnt, inprimis in aegro, morbo alterutri iam obnoxio, qui hoſpitem aduentantem, et tumultuantem facile agnoſcit. Dolor cruris, mox ab aeſtu inſequens, in crure eryſipelas formari, et dolor renum, cum ſtranguria, calculum adeſſe indicat.

§. CXXVII.

Venaeſectio in vtroque caſu conuenit. In nephritide autem calculoſa hoc primarium eſt, omni ſtudio calculi felicem progreſſum per clyſteres, et remedia oleoſo-acida, per nitrum potumque ſuffi-

cientem promouere, non autem per actiua pellentia, dum de calculi mole incerti ſumus. Vbi, poſt medicamentorum vſum, nec calculi excretio facta eſt, nec paroxyſmus nephriticus recurrit, abeſſe calculum non audacter aſſeramus, cum obſeruationes doceant, ſenes calculum in renibus fouiſſe absque manifeſto ſigno nephritico. Recurſum autem paroxyſmi retardant, et calculi augmentum impediunt, ſi illum non diminuunt, nunc tincturae antimonii acris, nunc autem ſpiritus nitri, imo ſpiritus ſalis parcus, frequens tamen, vſus. Nullum hydropotam fieri podagricum, raro calculoſum, opinio et obſeruatio eſt quorundam Medicorum. Rariores, et leuiores fieri paroxyſmos, ſi veſperi cubitum eundo, et mane ſurgendo, hauſtum frigidae bibant calculoſi, ego obſeruaui. Wepfervs in Ephem. N. C. D. I. A. II. Obſ. 39. aſſerit, raro in Heluetia, vbi vina rubra bibuntur, colicam et nephritidem obſeruari. Cogor, hac obſeruatione occaſionem dante, allegare Obſeru. 155. eiusd. Dec. I. Anni III. quia §. XVI. methodi cereuiſiam braxandi Liuonicam, mentionem feci, et in hac allegata Ephem. Obſeruatione refertur, in Liuonia raro reperiri calculoſos, quia cereuiſia ope ſilicum coquatur, quaſi ſilices igniti impraegnent cereuiſiam virtute, calculoſam materiem reſoluendi, quo e corpore eliminetur. Verum hanc obſeruationem referens, ex praeiudicio de virtute ſilicum anticalculoſa illam conſignauit. Adſunt nephritici calculoſi et podagrici apud nos et qui ſunt, ex pingui cereuiſia materiem calculi hauriunt, licet cum ſilicibus cocta. Tanta virtus non ineſt ſilicibus, nec, ſi eſſet, hac encheireſi tranſiret in cereuiſiam, praeterea, dum vltima obſidio

Rigenſis,

Rigenſis, incolas fragmentis innumeris globorum ignitorum ditauit, ex longo illo tempore non ſilicibus, ſed his fragmentis cereuiſiam coquimus: interim cereuiſia, cum ferro hoc ignito cocta, nondum virtutes martiales aperitiuas anthypochondriacas, in hunc vsque diem, monſtrauit. Verum de his fuſius, in mea mox rurſus edenda, oeconomia ruſtica.

§. CXXVIII.

Hoc probe adhuc obſeruandum, vt de laxantibus, paulo efficacioribus dandis in nephritide, ſibi caueant Medici, quia facile inde Iſchuria ſequitur: ſufficit clyſteribus, vel, ſi nihil obſtat, aloë aluum ſoluere, vtpote laxante omnium moderatiſſimo. Spiritui tartari praeterea non parua ineſt virtus, calculum ſoluendi: et ſane, memorabilis eſt obſeruatio Angli, HALES, in opere ſuo *Statical Eſſays* nuncupato, quod cum innumera corpora, tam ſolida, quam fluida, e. g. ligna, animalium partes, mineralia, olea deſtill. etc. explorauerit, quanta in illis forſan haereat aëris quantitas, in nullis maiorem deprehenderit, quam in calculo humano, et in tartaro Rhenano.

§. CXXIX.

De variis lithontripticis lege obſeruationes, a Medico calculoſo factas in Ephem. Nat. C. D. III. A. VII. Obſ. 116, et in earundem Cent. IX. Obſ. 74. Famoſiſſimum eſt illud Anglicanum, ex ſapone Alicantino, cochleis vſtis, etc. paratum, quod, quia ſerum vrinoſum virtute ſua reſoluendi aptum reddit, ad calculum, niſi duriſſimi generis ſit, reſoluendum et excernendum, in ſenibus magis reſoluens fieri poteſt, quia illorum vrina ſalia habet concentratiora,

ra, quam illa iuniorum. Interim, quia non ſolum rei nouitas tranſiit, ſed et operatio huius remedii dolorifica, et ſimul lenta eſt, aliquot menſes requirens, nil fere de illo amplius, in obſeruationibus medicis audire licet: τὸ cito enim, τὸ iucunde ipſi deeſt, ne dicam το ſemper. Hinc eſt, quod lithotomis in hunc diem permaneat exercitium nobiliſſimae ſuae artis, quae, modo dextre ſit inſtituta, aeque feliciter, ſi non felicius, in ſenibus contingit, quam in pueris. Teſtantur enim Comment. Acad. Pariſ. A. 1744, quod eodem anno, inter reliquos calculoſos, qui lithotomorum auxilium implorarunt, duo fuerint ſenes, alter 65 annorum, et alter 78 annorum, qui ambo feliciter ſanati ſunt; teſtimonio, ſenes, modo gaudeant adhuc ſanguine bonae craſeos, lympha elaſtica adhuc donato, aeque feliciter ferre ſonticas vulnerationes, ab inflammatione graui, aliisque ſymtomatibus magis immunes, quam iuniores. Certe horum ſubtilior ſanguis fibras vulneratas, maiore ſaepius inflammatoria ſuppuratione lacerat, et ad periculoſa ſymtomata diſponit.

§. CXXX.

Supra indicaui, aequiparari poſſe ſenes pueris; et hoc ipſo morbo iterum conueniunt. Frequentius enim pueri et ſenes calculo laborant, quam homines mediae aetatis; pueri ex abundantia lymphae, per addephagiam non optime elaboratae, ſenes ex mala concoctione alimentorum. Interim, non reperias pueros adeo feliciter, nunc ſuperare hunc morbum, nunc leuamen et opem ex remediis adipiſci, quam id in ſenibus interdum contingit. Docent enim obſeruationes medicae, et inprimis Eph. Nat. Cur. D. II. A. II. Obſ. 180. Cent. III. Obſ. 92. Cent.

ent. VIII. Obſ. 24. octogenarios calculoſos ope
edicamentorum a calculis fuiſſe liberatos. Quid?
uod interdum non ſolum absque incommodo, ſed
ſi inſcii, calulo laborent grandiore, tam renali,
uam veſicali: ſic ipſae Eph. D. II. A. VIII. exhibent
ontificem, Innocentium XI. nunquam nephritide
boraſſe, nihilominus magnum renalem calculum
cadauere eius fuiſſe repertum.

§. CXXXI.

Diaetae meminiſſe iuſtum ducimus, quam obſer-
ent ſenes, inprimis, cum in examine regiminis il-
orum, eſum ciborum ſalitorum et fumatorum non
eprobauerimus. Verum enim vero, praeferimus
unc hic loci vſum iuſculorum, herbis aromaticis
oſtratibus, cherefolio, rosmarino, maiorana, baſili-
o, etc. conditorum; et, ſi cibus ſalſos et fumatos
xigat, ipſis adſuetus ventriculus, parce capiantur,
nterpoſito potu ſufficiente tenui, vinique aciduli
adiuncto hauſtu, vt vehiculo commodo euacuetur
per viſcera, quod noxium eſſe poſſit. Innumeri
ſunt calculoſi, qui cibos fumatos nunquam guſtaue-
re. Frigus arceant calculoſi a corpore, maxime a
pedibus.

§. CXXXII.

Mictus cruentus inter morbos ſeniles non eſt po-
ſtremus. Illum autem intelligo, qui ſenibus ſaepe
absque dolore e virga excernitur, ad quantitatem
vnius, vel aliquod vnciarum, interdum absque comi-
te vrina, et absque dolore et ſtranguria, niſi, quan-
do coagulatus ſanguis exitum quaerit, et ſub lum-
bricorum forma tandem perrumpit, eo ipſo autem
in veſicae colli vaſis ſanguiferis ſe habitaſſe, prodit,
vel tranſeundo per vrethram ita formatum eſſe.

Stupent

Stupent multi aegri, lumbricum eſſe putantes, ante iuſtum examen. Qui cum vrina foetente prodit ſanguis, tardeque ſubſidet, vrina remanente clara et micante, ex renibus, a calculo putridis, exiuit: et qui cum perpetuo dolore veſicae talis erit, et cum ſanguine grumoſo, ex vlcere veſicae ſolo, vel coniuncto veſicae calculo manare declari debet. Conf. Ephem. N. C. Cent. X. Obſ. 56. Quando mictus cruentus, qui noſtri loci eſt, non ſaepe recurrit, ſenibus non multum moleſtiarum creat, terret tamen illos valde. Qui autem frequenter cum dolore perinaei, et cum ſtranguria recurrit, aegrum debilitat; vaſa ſanguifera, per totum corpus a tono delapſa, facile etiam in aliis locis, communiter in pulmonibus ſanguinem ſtagnare, et haemoptyſin naſci permittunt. Non raro cachexia, hydropem minitans, ſequitur mictum cruentum indomitum. Notandum hic ſimul, vaſa ſanguifera veſicae, cum haemorrhoidibus ramificantia, ſaepe iam ante ſenium, quibusdam, inſenſibiliter noctu, per virgam aliquid ſanguinis ſtillare, antequam cum annis ſolennior mictus cruentus inſurgat.

§. CXXXIII.

Haemorrhoidum fluxus eſt remedium validiſſimum in mictu cruento, quod, ſi non ſuccedit, in hirudinibus et venaeſectionibus quaerendum auxilium. Conſentiunt Eph. N. C. D. I. A. II. Obſ. 222, in qua refertur, octogenario, ob mictum cruentum feliciter, i. e. cum medela inſecuta, venam ſectam fuiſſe, fruſtra ante adhibitis aliis remediis. Interim, quoad remedia pharmaceutica, confirmo experientiam aliorum, herbam equiſeti, inter alia commendata, praeualere: multum etiam prodeſt veronica, cum

ım vino rubro infuſa, macerata et expreſſa, cum ıelle vel cum ſaccharo edulcorata, cochleatim ſum-ı. Clyſteres nitrati, oleoſi iniiciantur, et inteſtina ıterdum rhabarbarinis et tamarindinatis extergan-ır. Hic mictus cruentus enim exigit laxantia, vti le renalis reſpuit, pro noſtro monito. Nitri vſus ıternus egregius eſt. Confert et moderata frictio erinaei, et crurum fortior. Diarrhoea ſi contingit ritica, magnum inde ſolamen.

§. CXXXIV.

Haemorrhoidum fluxus quidem aetatis magis vi-lis, et incommodum, vel commodum eſt, interim t ſenes vtriusque ſexus interdum vexat. Sic ſenem uendam fere ſemper vexabat, vel fluentibus, vel oecis, haemorrhoidibus: prouocabat autem com-ıuniter fluxum pro lubitu, anus forti deterſione oſt alui exonerationem, quod cum negligeret, a oecis moleſtias ferre cogebatur. Sunt interim ſe-ıes grandaeui, qui cum euphoria illarum fluxum onſeruant; ſiſtunt enim Ephem. N. C. D. I. A. IV. octogenarium et nonagenarium, qui fluxu haemor-hoidum fruiti ſunt, vtrumque a prima iuuentute ıuic fluxui adſuetum: praeterea primum ſimul ſala-ciſſimum, alterum autem, mendicando victum quae-entem. Teſtantur haec exempla robur et tonum ad-uiſſe vaſis ſanguiferis, ſiue arterioſis, ſiue venoſis, ho-um ſenum, ſanguineque illos praeditos fuiſſe elaſti-o. Certe, haemorrhoidum iuſta euacuatio pletho-icis, aeſtuoſo ſanguine gaudentibus, maxime ſalu-aris eſt; hac enim depletione facta, viſcera abdo-ninalia omnia officium ſuum exactius praeſtant. Vbi autem in ſenibus debilibus fluxus contingit ni-nius, tunc viſcera debilitat, et cachexiam inducit.

Nitroſis

Nitroſis tunc agere oportebit; et laxantibus, maxime rhabarbarinis; nec non opiatis.

§. CXXXV.

Menſtruatio vetularum ſane inter ſeniles affectus referenda erit, cum ſit res magis praeternaturalis, quam fluxus haemorrhoidum grandaeuorum; inprimis ſi contingit in grandaeuis vetulis, quibus ante, ſuo tempore, iam ceſſauit menſtruatio: illas enim, quas ad primae ſenectutis annos adhuc comitata eſt, periodice et modeſte, ad praeternaturales non refero; cum ab aeſtibus volaticis, ſudore nocturno, flatulentia eiusdem ſpeciei cum haemorrhoidali, cuius ſupra mentionem fecimus, anxietatibus, verbo, malis, ceſſationem menſium inſequentibus, hoc modo liberentur. Septuagenarias et octogenarias rurſus fuiſſe menſtruatas, recenſent auctores Medici et Ephem. N. C. ex quarum Vol. II. Obſ. 184. produco ſeptuagenariam, quae poſt menſtruationem, ad annum ſexageſimum durantem, adhuc ſanguinis euacuationem per haemorrhoides experta eſt, mutato ſic ramo vicino meſenterico hypogaſtrico, ab illo qui ad vterum pro menſtruatione extenditur. Nonagenariam menſtruatam lege in Dec. II. A. VI. Iuuat addere ex Ephem. harum Cent. VI. Obſ. 74. vetulam 73 annorum, quae in nuptiis, animo et corpore exhilarata, poſtea bis menſes experta eſt: poſt cohabitationem cum marito, emanent hi menſes, abdomen intumeſcit, et elapſis nouem menſibus adſunt dolores ad partum, foetus autem nullus: praedicit Medicus molam, quae etiam poſt aliquot ſeptimanas eiicitur. Sub ſera tali menſtruatione feminam quandam *ventricoſam* concepiſſe, et embryonem anno aetatis 77mo demum excluſiſſe, cum inſe-

inſecuta perfecta ſanitate, docet Commerc. liter. Nor. A. 1742. ex comment. Acad. Pariſ. cum ratiocinio. Addo, feminam quandam, multorum liberorum matrem, etiam *ventricoſam* ad annum aetatis 52mum, menſtruationem paſſam, et poſt ceſſatos, per annum, menſes, ingrauidatam fuiſſe, et vegetum peperiſſe filium. Viduam noui, etiam *ventricoſam*, annum aetatis 54 agentem, floridam, tributum lunare hoc adhuc exacte ſoluentem: nec haec ſterilis in matrimonio fuit. Militis inualidi, rude donati, fere 70genarii vxorem, aetatis 61 annorum, Berolini, vegetam peperiſſe filiam, narrabant, paucis elapſis annis, Nouellae publicae: patris nomen erat Wunderlich, i. e. mirabilis.

§. CXXXVI.

Memini, anno 1729, poſt hyemem rigidam, duas vetulas noua menſtrua paſſas fuiſſe, per tres vel quatuor menſes, cum inſecuta debilitate; coaceruauerat frigus ſanguinem in viſceribus, peripheriam corporis perpetuo conſtringendo. Non ſunt ſemper absque haemorrhagico periculo vetularum menſtruationes. Laxantibus rhabarbarinis, tamarindinatis tunc agendum, nec non magneſia alba nitri, et opiatis inprimis, vbi tormina adſunt: quo in caſu Philonium Romanum commendare licet, eſt enim mulieribus valde commendatum ſopiens, in vteri haemorrhagia, nec ſine ratione. Medici quidem, qui omnes res, et rerum virtutes a priori iudicant, hoc narcoticum, ob varia acria, compoſitionem Philonii ingredientia, e. g. euphorbium reprobant; et ipſe ego aliquando, occaſione talis ratiocinii, tantum opii, quantum e. g. drachma Philonii capit, in haemorrhagia vteri dolorifica dedi, opinans, ex ſolo

opio doloris ſopitionem in Philonio oriri, ſed facile obſeruaui opium ſeparatum valde minus ſopire dolores, quam ingredientibus aliis acribus et aromaticis amaris mixtum: alia vice tantum pipere, euphorbio, et rad. pyrethri carere feci Philonium, cum effectu itidem infructuoſo.

§. CXXXVII.

Cachexia et *Hydrops*, vti morbi ſunt ſibi propinqui, ita ſenili aetati, prae alia magis proprii. Nec mireris, cum in aetate ſenili ſanguinem communiter cappeſcere, reliquos inde ſecretos humores ſpiſſeſcere, organorum canales flacceſcere, et fibras omnes ſimul indureſcere conſideraueris. Non vnitur amplius ſub hac mutatione omnis humorum maſſa, ſed fluidum ſubtile a viſcido ſecedit, cachexiam format, pedum oedemate plerumque notatam, et ſaepius in Hydropem tranſit. Inter mortuos ſenes *Actorum Medic. Berolin.* communiter plures numerantur phthiſici, et hydropici. Sociantur hi morbi ſaepisſime. Quis enim Medicorum practicorum neſcit, Phthiſin ſaepiſſime oedema pedum, hydropis ſolitum initium, pro funeſto colophone habere; et vice verſa, in hydrope ſe iungere emaciationem phthiſicam corporis ſuperni. Conf. §. C. de Phthiſi.

§. CXXXVIII.

Licet iam hydrops audiat morbus lethalis, et vltimus ſenum, nihilominus proſtant exempla apud Auctores, de hydrope ſenum curata. Nec mihi ſemper omnem ſenem hydropicum morti relinquere neceſſe fuit: imo dixerim, hydropem ſenum, ex ſola dyscraſia humorum nata, ſaluis viſceribus, facilius curatu eſſe, quam illum iuniorum, vbi ſuſpicio adeſt, de organorum ſecretoriorum obſtructione;

hae

hac tamen cum adiecta diſtinctione, ne coniunctus ſit hydrops pectoris ex polypo, vel graui ex pulmonum affectu. Hinc etiam contigit, quod femina illa 97 annorum, cuius Capite primo mentionem fecimus, non perfecte, ſed taliter qualiter fuerit reſtituta.

§. CXXXIX.

Quemadmodum curatio hydropis non ſemper in remediis ita dictis heroicis conſiſtit, ita talis in ſenibus minime locum habet. Proferam in hunc finem exempla Auctorum fide dignorum. In *Actis Haffn.* BARTHOLINI Ann. 1671. 1672. p. 145. ſenex hydropicus, poſt vſitatas methodos inanes, decocto Guaiaci et lignorum curatur. Ephem. N. C. Dec. I. A. II. Obſ. 218. duos praebet aſciticos ſenes, potu et balneo thermarum Wisbadenſium ſanatos, nec non grandaeuum quendam potu aquae Spadanae curatum. Iisdem in Ephem. D. II. A. XVII. Obſ. 57. duae ſeptuagenariae producuntur, absque purgatione curatae, tantum ſpiritu ſalis rectificato, ſale abſinthii, et decocto quodam ex raphano ſylu. rad. petroſel. glycyrrhizae, et ſemine cumini conſtante. Reſoluentibus, aperitiuis, et diureticis talibus opus eſt, in vino Rhenano propinatis; nec non ſalibus mediis variis, quae purgantibus praeferenda ſunt. Cucumeres conditi aliquando ſeni hydropico felicem creabant diureſin. Saepius catharrus pectoris, ſpiſſae lymphae index, hydropem ſenum praecedit; inprimis obeſorum, quibus, ſi forte crura, quondam, alio iam laborauerunt morbo, periculum graue naſcitur; cum enim ſerum ſtillare incipiunt, vigilandum contra gangraenam.

§. CXL.

Scilla, tam per ſe, a granis III ad VI. cum nitro data, quam clyſteribus addita cum aliis amaris, egregium eſt medicamentum: clyſteribus addatur interdum aliquid *vini Rhenani, vel cereuiſiae optimae*, ad fermentatiuam vellicationem inteſtinorum. Egregium aliquando effectum obtinui ex vſu ſulph. aurati, mitioris vomitoriae virtutis. Sane, alio modo non praeſtare lenia vomitoria bonum effectum credo, quam illo, quem in haemoptyſi indicaui; quod enim per vomitum eiicitur viſcidi parcum eſt. Sulphur hoc ſali neutro iunctum, per anum copioſe purgat. Locum hic inuenit ſingularis caſus, quem notat BAGLIVIVS, in Diſſertt. ſuis, de grandaeuo quodam, qui ſibi, ex praedictione horoſcopica, de hydrope metuit, et ad hunc euitandum, vix ex alio vixit cibo, quam ex Chocolata, cibis ſalinis, et parco potu; hoc non obſtante hydropem tympanitidem incurrit, quae poſt fata (contra tympanitidis verum caracterem,) 60 libras ſeri reddidit. Quis autem non videt, ipſam hanc victus rationem id effeciſſe, quod metuebat. Quemadmodum enim ciborum ſalitorum interpolata ingeſtio, cum potu ſufficiente ſenibus multis conuenit, et indemnis eſt, ita illorum perpetuus vſus, cum potus abſtinentia, non potuit non ſanguinem ad lethalem dyſcraſiam diſponere, viſcerumque obſtructiones, ex quibus hydrops, producere.

§. CXLI.

Licet pro ſerie, a nobis initio ſtatuta, *Oedema pedum* ad morbos abdominis directe non cenſendum ſit, cum in pedibus obuiam veniat, nec abdominis ſit morbus primarius, tamen magnae affinitatis ergo,

go, quam cum morbis praecedentibus habet, illud hic annectere vtile duco. Oedema pedum cachexiae ſenilis productum quidem eſt, interim attendenda etiam eſt allegata in Cap. primo ſenilium arteriarum oſſificatio, quae ſeparationi ſeri a ſanguine, ad oedema formandum fauet: non inſinuatur enim tunc exacte arteriarum ſanguis venarum orificiis; hinc facilis ſtagnatio ad ipſa venarum orificia, ſeri a reliqua maſſa ſeparatio, et eius in muſculorum interſtitiis, eluuies. Facile aſſurgit oedema in ſenibus, cum multum ſtare ipſis neceſſe fuit, vel etiam deſidere. Oedema cum ſtranguria ſaepe alternare obſeruatur, per redundantiam nempe ſeri ſtagnantis, ex ſtaſi intercutanea acrioris redditi, ad renes et veſicam, de qua re lege caſum memorabilem in Ephem. N. C. D. III. A. V. Obſ. 50. Oedema in ſenibus mortem praecedere obſeruatur, cum inſequente liuore, gangraenae ſphaceloſae ſigno. Nec tale ſe ſemper manifeſtat ſignum, ſed occulta gangraena ſe interdum motibus febrilibus prodit, ad Eryſipelas tendentibus: ſic ſenex 78 annorum, robuſtus, per plures annos iam oedemate laborans, ſubito graui horrore febrili concutitur, inſequente mox magno aeſtu, dolent poſtea crura vehementer: remittit febris, et quia appetitus redit, ſaluum ſe eſſe credit aeger. Verum quinto die ſubito ipſe indicat ſe ſentire mortis praeludia, quae etiam, conſtantibus ſenſibus, vti in illis fit, qui ſphacelo ſubito irrepente moriuntur, poſt aliquot horas inſequitur, absque vllo ſigno lethifero in pedibus; tantum in oſſis ſacri regione liuidae quaedam magnae maculae repeiebantur. Metuenda talia inprimis ſunt, quando oedemata maculis liuido-rubris ſunt notata, ſimulac

enim ex naturae robore deficiente, hae in ſuperficie non detinentur, mors inſtans metuenda eſt, ſenibus.

§. CXLII.

Pro *curatione* oedematis, vel potius *diminutione*, conducunt infuſa vinoſa, diuretica, amara, ante paſtum ſumta, vt chymus his imbuatur, et ſeparatus inde chylus ſanguinem vappeſcentem partim roboret, partim eius defecationem a ſero ſuperfluo, per renes promoueat. Laxantia interponantur per epricraſin. Si autem vrina ſimul craſſa, et rubicunda eſt, decocta ſpecierum diureticarum mitium et alterantium potius profunt, addito hordeo, vel auena, cum paſſulis minoribus. Potus Thee viridis etiam valet. Conducunt porro tinctura antimonii acris, tartari, et Eſſ. Pimpin. et Succini. Nitrum etiam, cum abſorbentibus mixtum: item muria limonum et variorum fructuum. Externe adhibeantur frictiones modeſtae, cum linteis calidis, vel cum ſolis manibus. Ligationibus cum faſciis nullatenus fidendum, ſi tamen illas adhibere placet, noctu ſunt remouendae, vt tranſpirationi, ſi ope caloris, elici poterit, linquatur locus.

§. CXLIII.

Veſicae vitia in ſenibus ſunt frequentia. Laborant enim mox vrinae profluuio, contra voluntatem, absque ſenſatione, id quod *incontinentia* vocatur: mox alio profluuii nimii genere, quod *Diabetes* dicitur; nunc vrinae totali obſtructione *Iſchuria* appellata; nunc mingendi difficultate, absque dolore, *Dyſuria*, nunc eadem difficultate cum dolore, *Stranguria* nuncupata. Non incongruum quidem eſſet *mictum cruentum*, quatenus veſicae culpa oritur, hic numerare, quia autem morbus ſeparatus in ſcholis

lis medicis audit, et cum his nuncupatis vitiis extra connexionem verſatur, ideo etiam ſeparatim illum perluſtraui.

§. CXLIV.

Non equidem rarae ſunt ſenibus vrinae incontinentia et diabetes; frequentiores tamen Stranguria, Dyſuria et Iſchuria. Cum Diabetem, vt morbum renalem hic ſaltem nominaſſe placuit, *incontinentiam vrinae*, morbum veſicalem, hic ſolum examinabimus. Cauſa eius eſt paralytica conſtitutio ſphincteris veſicae, non permittens illum pro voluntate conſtringere, iſchuriam interdum, ex voluntaria conſtrictione veſicae, ab vrina onuſtae, ſequens. Dabo huius rei caſum ſingularem: Septuagenarius, robuſtus, colicae aliquando obnoxius, vino indulget Hungarico, cui Burgundicum ſuperbibitur; cupit tandem ſe ſocietati, cui intererat, ad mingendum ſubtrahere, ſed venia non datur, et poſt bihorium data, veſica nullam vrinam reddit, iſchuria laborans. Corripitur eadem veſpera a febre, ſecatur itaque vena, et ſanguinis debita quantitas euacuatur. Nihilominus poſtea, ex Chirurgi incuria, vel ex aegri errore, fere triplum tanti ſanguinis, inſcio aegro, noctu e vena adhuc effunditur, Iſchuriae tamen perduranti nullum inde leuamen. Aluum ſimul obſtructam clyſteribus emollientibus deobſtruere laboratur, ſed incaſſum, quia in inteſtino recto, quaſi obex, ex collo veſicae, ſpaſmo illud conglobante, ſentitur. Cum tandem ſequente mane aluus obediret repetitis clyſteribus, vrinae ſequebatur incontinentia, licet nihil diuretici fuerit adhibitum, praeter aquam Briſtolenſem: praecedens enim veſicae ſpaſmus huius paralyſeos ſphincteris cauſa fuerat.

Durat haec incontinentia in dies, licet varia topica roborantia fuerint adhibita, et perinaeo applicata, imo vmbilico, e. g. aqua illa ſpirituoſa Anhaltina, et varia emplaſtra neruina, ſed omnia in caſſum. Interne interim per hos dies nihil, praeter aquam Briſtolenſem, cui confidebat aeger, et ex cuius vſu ventrem a flatulentia, cui obnoxius erat, liberum ſentiebat, nihil bibebat. Noctes habebat aeger ſomniferas, niſi depurationum cauſa, quas vrinae perpetuum ſtillicidium neceſſarias faciebat, interpellerentur. Proponebatur a Medico vſus clyſteris Chinati, quia ſaepe poſt huius vſum, vrinam imminutam viderat, ex quibus, binis noctibus, applicitis, nulla mutatio; omittitur eius iniectio tertia nocte, qua quidem eadem durat incontinentia, cum inquietudine tamen et horripilatione interpellante.

§. CXLV.

Aeger perdurante hoc morbo, cereuiſiam bonam, ſpirituoſam, cui ob frequentes colicas adſueuerat, bibere omiſerat, ſoli aquae Briſtolenſi indulgens: quo autem veſicae, contra pertinacem, et vltra 4 hebdomades iam durantem, incontinentiam, robur redderetur, iubetur rurſus cereuiſiam bibere, ſed ecce! mox inde ſtranguria eſurgit, vehemens et cum ardore in ano, ſuccedente febre verſus veſperam. Datur vinum Chinatum, et pilulae ex ſapone veneto, ſpermate Ceti; ſed peiora hinc omnia. His itaque miſſis, emulſio ex papaueris albi ſemine, amygd. dulcibus, et ſemine cardui Mariae, addendo horum e. g. vnciis tribus, ante emulſionem, ol. amygd. d. ſine igne expreſſi vnciam vnam, paratur: incoquuntur ſimul iuſculis radices althaeae et glycirrhizae, quibus alternatim propinatis, non ſolum noua illa

pathe-

pathemata ſopiuntur, ſed et ſimul vrinae incontinentia, quae per 5 ſeptimanas durauerat, tollitur. Quis ab oleoſis emulſionibus, et radicibus emollientibus in continentiae vrinae curam exſpectaret? Putares illam adſcribendam eſſe praegreſſae Stranguriae, illamque ſphincteri, vi ſua dolorifica, tonum ſuum reddidiſſe, ſed oleoſis his remediis, fibras ſphincteris torpidas rigidasque demulcendo, et ſic ad officium compellendo, haec laus debetur: commendabilis enim eſt in omni vrinae incontinentia, ex amygd. dulcibus, pineisque, nucleis pinaſtri ſibiricis, (quibus vltimis, diateticam vrinae incontinentiam curatam eſſe nouimus,) omnibus nullatenus rancidis, parata emulſio.

§. CXLVI.

Locum iam adii, qui caſum, cuius in colicae pertractatione mentionem feci, et in quo pus, per veſicam, ex colicae apoſtematicae cauſa redditum eſt, cum *vrinae incontinentia*, capiat: Vir annorum 75, habitus corporis robuſti, floridi, ſtricti, cum per vltimum vitae annum, primo tibiae, poſt faciei eryſipelate laboraſſet; dextre ſanatus, ex diaetae vitiis in grauem incidit colicam, cum alui obſtructione. Eluctatur etiam ex hac commode. Elapſis vero vix 4 ſeptimanis, in ſtranguriam incidit dolorificam. Enemata congrua, linimenta, inſeſſus, et decoctum herbarum emollientium hanc tollunt. Obſeruatur vero mox non ſolum tumor ſupra pubem dolorificus, quando manu premitur, ſed redditur eo ipſo, per virgam, materia purulenta. Succedit mox *vrinae incontinentia* appetitus proſtratus, et pulſus verſus noctem a rythmo naturali, ad febrilem vergens. Tertia morbi ſeptimana ſingultus accedit, et aeger,

ſemel graui lipothymia afficitur. Cum vero tumor ille hypogaſtricus accuratius examinaretur, ex dextro vmbilici latere, ad ilia et pubem extenſus reperiebatur. Tandem per anum etiam ſecedebat materia purulenta, cuius ſucceſſus per clyſmata iuuabatur. Vrina fit graueolens. Superueniunt aphthae, quae quidem, cum ſingultu, pro materiae purulentae facilitata excretione minuitur; augetur tamen corporis debilitas et marcor, aegro medicamenta vti alimenta auerſante. Octiduo ante obitum, hac inuoluntaria mictione purulentae materiae, octo circiter vnciae excernebantur, et eiusdem circiter tres vnciae per anum, tempore matutino; poſt meridiem autem fere libra eiusdem, absque omni comite excremento; materia, puri abſceſſus inciſi ſimillima. Abdomen, quod per biduum, ad pectus vsque tumidum, et durum fuerat (accedente, eo ipſo, leui delirio, cum pulſu intermittente) nunc totum detumeſcit, et molleſcit, vrina autem fluit clara et copioſa. Ceſſat ſingultus, reſpiratio fit liberior, aphthae euaneſcunt, pulſus rithmo naturali propior, nihilominus ſub hac fallaci ſerenitate, practicis nota debilitas augetur: biduum enim ante obitum adhuc puris per anum, libra ſemis, et loquendi impotentia. Duodecim autem ante noctem, horis, corporis aeſtus magnus, gangraenae dominantis teſtis ſuperuenit, hanc mors placida, cum morbus per octo durauerat ſeptimanas. Corporis obductio non permittebatur, dubia itaque manebat trium diſſentientium medicorum opinio. Primi, quod morbus vnice fuerit abſceſſus ſubſtantiae tunicarum veſicae, vtpote in magnam molem dilatabilium. Secundi, qui in hoc conueniebat, addentis tamen, partem abſceſſus

ſceſſus cum inteſtino recto connexam fuiſſe. Tertii, quod fuerit abſceſſus, peritonaeo affixus, illudque ſubintrans, et per huius vaſa, et nouiter cauatas vias, immediate in veſicae cauitatem, et per formatam fiſtulam, in inteſtinum rectum ſe exonerans, argumentis: 1. quod colica praegreſſa, abſceſſus initium reliquerit, ſi forſan abſceſſus non fuerit colicae cauſa. 2. Quod tumor abdominis non, niſi poſt puris vltimam quantitatem, maxime per anum euanuerit, 3. ex ſtupenda quantitate puris per tot ſeptimanas fluente, 4. ex non interrupto veſicae officio vrinam reddendi, licet per perpetuam incontinentiam. Conſ. hic loca notabilia Ephem. N. C. nempe D. I. A. II. Obſ. 176. et A. III. Obſ. 215. item D. III. A. IV. Obſ. 7. 86. 89. et A. VII. Obſ. 57. nec non earundem Cent. III. Obſ. 10.

§. CXLVII.

Stranguria, ſeu frequens, cum dolore, interrupta plerumque mictio, eſt ſenum frequentiſſimum veſicae vitium. Oritur communiter, ex muco veſicae acri, interdum etiam ex viſcido e ſanguine per renes ad veſicam amandato: in aliquibus autem ex veſicae tunicae vlceraſcentia, vel etiam ex calculo veſicae latitante, aliisque cauſis: Grauiſſimus eſt morbus, vires quam maxime depaſcens, noctes diesque interdum dolore plenos faciens, ob perpetuum mingendi ſtimulum: aliis noctes ab hoc incommodo ſunt liberae, et illi per diem ſolum a ſtranguria vexantur; aliis autem dies ſunt commodi, et noctes habent vexantes; ne dicam, quod ani teneſmus ſaepe coniunctus ſit, qui ex quauis fere ſtranguria, ex veſicae ſphincteris fibris ano largiter connexis contingit, ad alui obſtructionem ſimul diſponens.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII.

Cauſarum diuerſitas, methodi medendi diuerſitatem poſcit. Signis autem pathognomonicis pro rectae viae indice opus erit. Mucus veſicae acris, a tunica vlcerata, ſcabioſa, *diſtinguitur*, quod mucus hic cum ſtranguria expreſſus tenuior, et magis ardens ſit. Si autem viſcidum a ſanguine per renes ad veſicam demandatum ſtranguriam creat, et mucum mentitur, a glutinoſitate, quae huic viſcido inhaeret, diſcrimen capiendum. Calculus latitans, ſtranguriam faciens, per examen ſolitum in ano, et ſtyli immiſſionem in veſicam, detegitur. Si denique ſuſpicio de proſtatarum vlceratione excitaretur, haec ex liquore emanante, dolore perinaei, iniectione quadam, ſtylique cerei immiſſione, facile detegeretur. Quae ex muco veſicae acri, eiusque tunicae vlceraſcentia nata eſt ſtranguria, iniectionibus lenientibus mitigabitur, ſi ſphincter ſyringam admiſerit, ita tamen vt huic vlceraſcentiae dicatis iniectionibus ex althaea, conſolida mai. flor. maluae etc. paratis, ſimul aqua calcis addatur. Conuenit praeterea vtrique malo, lactis vſus, et decoctum ex veronica, ſaſſapar. hyper. et alica auenacea. Proſunt praeterea emulſiones amygd. oua ſorbilia etc. Demulcet etiam egregie aqua illa Briſtolenſis, inprimis vino rubro ſubauſtero tincta. Butyrum recens non ſalitum, vel nitro conditum, multi vſus eſt in mucoſa ſtranguria. Opii prouidus vſus ſtranguriam et teneſmum mitigat: retinetur quidem ſub hac palliatiua cura materia excernenda, interim placido ſomnifero interſtitio, vires vitales, doloribus, et vigiliis fractae, reſarciuntur, et poſtea potus ſufficientis vehiculo veſica ſimul et ſemel exoneratur. Valet

hic

hic itaque idem ratiocinii momentum, quo in tuſſi, opium commendando vſi ſumus. Interim notandum, quod in his affectimus, prae multis aliis, non licitum ſit gulae indulgere: ex inſipidis fere et dulcibus viuere neceſſe eſt. Exulent itaque hic omnia aromatica, acida, ſalſa, et fumata. Quod attinet ſtranguriam ex calculo, et ex proſtatarum vlcere; illi Lithotomus medebitur, ſi a lithontripticis cruciari diſplicet, et proſtatis vlceratis iniectionibus lenientibus et exſiccantibus occurrendum erit.

§. CXLIX.

Stranguria, ex viſcido a ſanguine per renes ad veſicam demandato nata, ſanguinem a viſcido ſuo purificantibus, curanda eſt, decoctis lignorum et antiſcorbuticis, Tinctura ſuccini, tartari, antimon. Eſſ. Pimpin. etc. Difficulter tamen iis medemur, niſi in principio, et antequam ſenſim, renes ad recipiendum hoc viſcidum, diſpoſiti facti ſunt. Vti ſtranguriam cum oedemate ſcenam variare diximus, ita et hanc ex viſcido ſanguinis natam ſtranguriam, cum tuſſi catharrhali alternare obſeruaui, in vetula annorum 76 macra et exſucca: haec a multis retro annis, tuſſim mucidam ſemper tuſſiens, in primo ſenio, excoriationes et exundationes inflammatorias ſeri ad aures experiebatur: ſeptuagenaria facta, grauibus pectoris oppletionibus moleſtabatur, ex mox ardore vrinae, mox ſtranguria, interdum etiam vrinae incontinentia, cum dolore in pube, laborabat. Accedebat interdum ani teneſmus moleſtiſſimus, addita, clyſteribus emollientibus, ſpiritus vini drachma vna vel altera, leuatus, comite tamen alui obſtructione. Vrina, quae excernebatur, parca erat, quauis vice, mox autem in matula ſedimentum valde glutino-

glutinoſum deponebat Remittebat ſub his moleſtiis, quae aderat oppletio pectoris, et tuſſis omnis; vbi vero, vel ex aëris frigidi hauſtu tuſſis reuocabatur, vel pulmones ex ſanguinis maſſa ſponte muco opplebabantur, nulla amplius aderat ſtranguria, vrina liberior fluebat, parcum ſolummodo reddens mucum. In propatulo quidem eſt, hanc ſtranguriam ex veſicae vitio natam non eſſe, interim ex diuturno hoſpitio talis viſcidi, ipſam veſicam morbo proprio affici poſſe non dubitandum.

§. CL.

Cum veſica, et quae intime ipſi annexa ſunt, generationis organa, neruis, vt ſubtiliſſimis, ita maxime elaſticis, abundantiſſime gaudeant, contingit ſaepe, vt ex veſicae ſpaſmo ſtrangurioſo, non ſolum eiusdem, ſed et dimidii corporis neruorum paralyſis in ſenibus ſuccedat, id quod, vbi de paralyſi et hemiplexia locuti ſumus, memoriae labe oblitum pluribus allegare iuſtum fuiſſet. Quantum malum ſtranguria, leuius aliquando habitum!

§. CLI.

Omnem equidem ſtranguriam *Dyſuriae* titulo appellare liceret, cum autem hanc diſtinximus, quod absque dolore ſit mingendi difficultas, ita etiam illam proprio ſuo titulo relinquamus. Conſiſtit enim vere Dyſuria ſolum in niſu inani, per aliquam moram, vrinam reddendi. Cauſa eſt debilitas tunicae muſculoſae veſicae, veſicam conſtringere non valentis. Naſcitur vel ex potu nimio aquoſo, vel ex refrigeratione crurum, vel ex ſanguinis vappidi vrina vappida. Cauſae priores facile remouentur, potu ſpirituoſiore, et crurum a refrigeratione praeſeruatione: quae autem ſanguinis vappeſcentiam pro

cauſa

cauſa habet, illa non ſolum potum ſpirituoſiorem, ſed etiam remedia balſamica neruina ſibi poſcit.

§. CLII.

Iſchuria, totalis mingendi impotentia, vel ſola exiſtit, vel nunc antecedit, nunc ſequitur, allegatos veſicae morbos, vti videre eſt in caſu de vrinae incontinentia. Oritur ſaepe ab omnimodo ſublato officio renum, veſica ab vrina exiſtente vacua, quae ſpecies Iſchuriae periculoſiſſima eſt, inprimis in ſenibus, quia ſerum ſaepe ad cerebrum regurgitat, et vel apoplexiam, vel lethargum inducit. Nec minoris eſt periculi, quae ab obſtructis a calculo renibus oritur, quae tamen ſaepius vincitur inſeſſibus tepidis (quia calidos lipothymias interdum inducere obſeruatum) decoctis emollientibus, oleoſis, lubricantibus clyſmatibus, etc. quando ſcilicet calculus, per vreteres volubilis adeſt. Vbi autem calculus veſicae Iſchuriam producit, nullo modo retrudendus, ſpaſmo ſphincteris fortiore comitante, tunc veſicae, ab vrina repletae, regio intumeſcit; et ſi punctio perinaei nullum dat auxilium, mors lethargica ſequitur, et vrina poſt mortem effluit. Si alia recrementa, ſanguis grumoſus, vel glutinoſum quod, iſchuriam creare tentat, emollientibus oleoſis, et multo potu aquae citrato, ſpirituque vini animato, fit medela. Acria illa naſturcina etiam in victu valent.

§. CLIII.

Collum et ſphincter veſicae interdum a vaſis ſanguiferis propriis inflammantur et tumefiunt, anſam dantibus veſicae vlcerationibus, et excrementis mucoſis acribus, vt et hoc modo Iſchuria naſcatur: tunc maxime venaeſectio in pede prodeſt, nec non hirudi-

hirudinum ad anum et ad perinaeum applicatio. Proſunt pediluuia tepida, imo tales inſeſſus. Valet nitrum abundanter datum, butyrum nitratum, clyſteres nitroſi, purgantia rhabarbarina, tamarindinata in decoctis emollientibus: nec non externi fotus perinaeo appliciti, ex aqua calcis et ſaccharo ſaturni parati, pinguedinibus, non rancidis, mixti. Si autem ſolo ſpaſmo affectum eſſe ſphincterem argumentamur, ex dolore ſpaſtico ſimplici, abſentia febris etc. facile pediluuiis calidis, fotibus calidis emollientibus, pinguibus, ſemine papaueris admixto, illam leuabimus Iſchuriam.

§. CLIV.

Commentarii Acad. Sc. Pariſ. A. 1718 recenſent, Chirurgum PETIT duodecim cadauera, Iſchuria, ex luis venereae ſuſpicione defunctorum, quibus ob vrethrae carunculam vrinam haeſiſſe, opinio fuerat, ſecuiſſe, et illam a caruncula liberam inueniſſe: obſeruaſſe autem in tribus ſubiectis, proſtatas glandulas adeo intumefactas fuiſſe, vt veſicam ipſam per collum intrauerint: et ex Eph. N. C. Vol. I. Obſ. 163. et 64. duos caſus mortiferos, eiusdem cauſae, haurire poſſumus, ex quibus apparet, hanc Iſchuriae cauſam etiam ſenibus aliquando accidere. Primus enim caſus in Duce Hetruriae ſene, ſecundus in Medico ſene adfuit. Indurantur quidem, et minuuntur glandulae potius in ſenibus, quam vt creſcant, interim et contrarium accidere, vel ex liquoris genitalis orgaſmo, vel ex alia cauſa, his caſibus docemur. Experientia praeterea, glandulas colli ſaepe tumefieri in ſenibus, monſtrat, et aperte probabilitatem caſuum confirmat. Quid, quod abſceſſuum abdominis glanduloſorum generatio etiam ſatis notoria ſit?

§. CLV.

§. CLV.

Malum grauiſſimum eſſe Iſchuriam, quilibet videt, qui perpendit neceſſitatem ſeri bilioſi, et ſalſi excretionem perpetuam, e corpore humano, quae iſchuria impeditur. Quemadmodum ad hunc obicem remouendum, omnis lapis prudenter, et pro cauſarum agnitione, absque mora mouendus eſt, ita hoc ſolum monitionis addimus, vt explorationi cauſarum per ſtylum, quantum poſſibile, parciſſimus, et modeſtiſſimus ſit locus.

§. CLVI.

Eryſipelas maribus ſenibus, frequentius in crure, vtpote partibus magis tendinoſis occurrit, quam feminis, quibus ſaepius facies hoc malo afficitur, idque tanto maiore dolore, quanta maiore cura illam curant. Accidit autem illis magis in facie, quia glandulis magis abundat faciei vicinia, quas magis patulas ipſis dedit natura, ob lymphae copiam maiorem in illis, quam in viris. Manifeſtat ſe hoc luculenter, per dolorem, qui ſub initio Eryſipelatis ad faciem, in parotidum regione ſe exſerit. Hinc etiam videas illarum colli glandulas in annis iunioribus obſtrui frequentius, et vlceraſcere: accedit, quod facies vaſis ſanguiferis abundet, et nunc ex pudicitia, nunc ex leui iracundia illis facilius rubeſcat. Interim etiam refrigeratio faciei ipſis, vt tenerioribus, ſaepe eryſipelatis anſa fit, ob lymphae ſcilicet impeditum progreſſum. In hoc tamen etiam praecellunt beneficio feminae, quod eryſipelas faciei non adeo facile vlceraſcat, quam illud crurum.

§. CLVII.

Corripiuntur ſenes ab eryſipelate, communiter, infeſtiſſimo modo, horrore febrili vehemente, cum

aeſtu graui inſequente, ſub quo, vel mox poſt, dolor ſe in crure, et circa inguinis glandulas exſerit, vti, ſi facies tentatur, dolor circa parotides obſeruatur. In ſenibus ita inflammata parotis, non ſemper perfecte Eryſipelas format, ſed febre perdurante, in abſceſſum degenerat, vires vitae deſtruentem, et ſenem communiter morti tradentem. Cum ſenes non facile febricitent ex tertiana febre, et ſi ab illa corripiuntur, paroxyſmus illis lenior ſit, quam iunioribus, ſenibus, inprimis grandaeuis, a grauiore horrore febrili correptis, audacter ſemper praedixi, eryſipelas ante fores eſſe. In ſenibus primi ſtadii, grauis horror febrilis etiam valet, pro ſigno nephritidis paroxyſmi. Ipſe quidem paroxyſmus eryſipelaceus, aliquando ſtranguriam habet comitem, ſed illa eſt ex natura vehementis paroxyſmi febrilis, et ſe aſſociat cuilibet paroxyſmo vehementi, tam in intermittentibus, quam acutis febribus.

§. CLVIII.

Ab eryſipelate ſaepius oedema remanet, vtut incompletum: oedemati vero obnoxii ſenes, eryſipelas reformidare debent peſſimi moris, i. e. facile gangraeneſcens, de quo caſum iam attuli incidenter ſub *Oedemate*, et apud Auctores practicos eiusmodi plures leguntur. Obeſi, ſaepe ab eryſipelate tentati, etiam habent, quod de Hydrope timeant. Realem vero differentiam, inter eryſipelas et phlegmone, communiter acceptam, pro tali non auſim corroborare; gradu enim haec ſolummodo differre autumo.

§. CLIX.

Qui eryſipelate ſaepius corripiuntur ſenes, colicae etiam fiunt obnoxii, et iisdem, vti dicere ſolitum,

tum, retroceſſionibus eryſipelatum periculoſis tentantur, quemadmodum podagrici ſuis podagrae retroceſſionibus, incompletis, vel imperfectis potius dixeris, moliminibus. Delirium interdum illos occupat, quibus faciei eryſipelas eſt, communiter autem tunc quando absque febre ſunt, leue, et absque periculo, modo mucus narium et ſaliua, in debita perſtent excretione: vbi vero angina ſe iunxerit, periculum adeſt. Eryſipelas vlceraſcens non eſt ſine periculo ſphaceli in ſenibus, quemadmodum idem interdum adeſt, in aetate non adeo prouectis; interim humorum benignior ſtatus differentiam tenet. Octogenarius quidam obeſus, vlcere tibiae ex eryſipelate, per 30 annos laborans, et huc vsque pernas fumatas et braſſicam muriaticam in lauto victu habens, corripitur tandem, poſt iracundiam, ab horrore febrili, cum dolore in vlcere, exſpectatque ſolitam inflammationem eryſipelaceam, haec autem hac vice, non ſequitur, quin potius, cum aeſtu magna debilitas, et mors quinto die. Saepiſſime altero die a paroxyſmo febrili, eryſipelati veſiculae gangraenoſae adſunt, quibus forfice apertis, ſedulo contra gangraenam laborandum.

§. CLX.

Venaeſectionem in eryſipelate adminiſtrare, iuſtum eſt, imo repetitam, maxime circa initium. Sequens, ex Ephem. N. C. Cent. VI. Obſ. 6. mutuatus caſus hic alligari meretur: Septuagenarius Italus corripitur eryſipelate cruris ſiniſtri; cum per biduum adhibita tonica fruſtranea fuiſſent, et aeger inſomnis de nodo in praecordiis quereretur, vnciae octo ſanguinis e brachio ſiniſtro cum leuamine educuntur. Poſt biduum queritur aeger rurſus de pon-

dere circa cor, et in pectore, vena itaque ſecatur in altero brachio, cum nouo leuamine, crus minus dolet, tumet vero, vti antea, et ſuppurationem minatur. Quarto die a venaeſectione, rurſus mala omnia, pulſus inaequalis, reſpiratio difficilis, etc. euacuatur rurſus libra vna ſanguinis e ſiniſtro brachio, cum euidente reuocatione aegri in vitam. Coxis vero ſimul duo veſicatoria applicantur.

§. CLXI.

Poſt venaeſectionem clyſmata, et laxantia in vſum vocentur. Aeſtus febrilis, nitroſis, mucilaginoſis cerealibus, et diapnoicis mitigetur. Externis ſpeciebus camphora addatur, et aſpergatur, cum pulueribus, illis locis, in quibus exulceratio metuenda. Egregium Euporiſton topicum eſt cortex medius ceraſi padi recens minutim ſcalptus: praeterea aqua deſtillata huius corticis dat remedium diapnoicum roborans egregium. Quando autem gangraenam minatur eryſipelas, vſus corticis peruuiani non eſt omittendus. Praeſeruatiue valent laxantia. Venaeſectio in brachio (quia illa in pede interdum eryſipelas, licet leue, prouocat, etiam ad illud non pronis) fiat. Praeſeruant etiam aquae ſelteranae, cum tertia, vel quarta parte lactis potae: nec non thermarum naturalium fotus, ſi fert conſtitutio ſenilis. In diaeta, acria, ſalſa et fumata fugere conſultum eſt, ſed conſuetudo, et craſis ſanguinis a iuuentute his fundamentis ſuperſtructa, robuſtos ſpernere facit haec conſilia. Cereuiſia etiam nocet, quae multo, fumo parato, coquitur; praeſtat leuis, auenacea. A fructibus horaeis, acidulis, inprimis, ceraſorum copioſa comeſtione abſtineant, quippe aliquot caſus eryſipelatis mihi noti ſunt, ab illorum

com-

comeſtione ſecuti; et duo in Ephem. N. C. notati caſus idem affirmant. Eryſipelas facile colludit cum pectoris oppletionibus: non properent itaque illi, qui ambobus his affectibus moleſtantur, ad eryſipelatis ſubitaneam diſcurſionem, absque interpoſitis laxantibus, aliisque vniuerſalibus. Conf. Annal. med. phyſ. Vratisl. A. 1724. Menſ. Iunio. p. 253.

§. CLXII.

Sphacelus pedum non cum tumultu febrili ſemper inuadit ſenes, ſed ſaepius clandeſtine, ſubito tamen; interdum tarde, et a longinquo quaſi: ſic ſeptuagenarius, robuſtus, boni corporis habitus, per biennium, in fine muſculorum gaſtrocnemiorum, viceratione habebat, aliquando quidem coaleſcentem, tandem autem in ſphacelum incoërcibilem ruentem. Alius grandaeuus, exſuccus, multos annos, per interualla, ſentiebat, in vtroque pedum pollice, circa vnguis marginem, et radicem, dolorem, quem tandem vlceratio ſicca ſphaceloſa ſequebatur, cariem oſſis clandeſtinam, diu ante factam monſtrans, cum inſecuta febre et morte. Ita partes exſangues facile corripiuntur a ſphacelo difficulter coërci bili, ſaepiſſime ſe in pollice pedis cum veſicula gangraenoſa manifeſtante. Sexagenarii ſubitaneam, tibiae, et totius νέκρωσιν lege in Ephem. D. II. A. VII. Obſ. 122. Si paronychiae initia inſurgunt, egregie illis occurritur camphora l. a. trita, duplo aſae foet. mixta. Affectum hunc digitorum manus, vlcerationi grauiſſimae ſaepe, ſubiectorum addidiſſe pedum digitis grauiter affectis, ne male vertas, Lector.

§. CLXIII.

Arduum ſane ſphacelum remouere in ſenibus, quia ſanguis illorum non gaudet amplius craſi illa

balſamico-ſalſa, partes corporis vegetante, ſine cu-
ius concuſſu mortificationi obex poni nequit: hinc maxime internis validis remediis, craſis ſanguinis, abſque mora, fulcienda erit, cortice peruuiano, myrrha, croco, ambra, et ſimilibus. Porro Iulapiis acidulis, et ſi nulla adeſt faucium, ſiccitas, vinoſis. Adhibeantur praeterea probati fotus ex ſpeciebus amaris balſamicis, cum vino, aceto, aqua calcis, pro re nata, paratis. Quam in vtilis ſit amputatio pedis, ad conſeruandum ſenem, absque concuſſu bonae craſeos ſanguinis, inprimis grandaeuum, docent Acta medica Berol. Vol. IV. In robuſtis ſeneſcentibus, quibus ex bono vitae regimine, adhuc bona craſis ſanguinis conſtat, aliquando amputatio habet locum, tempeſtiue inſtituta, ſi a cauſa violenta externa, metus ſphaceli iuſtus, ex vulneratione acciderit, licet in Cap. Imo, allegatus funeſtus caſus Angli nautae contrarium ſuaderet; inueniunt enim locum exculpantem allegata vitia diaetetica, ex quibus malam craſin ſanguinis hariolari licuit. Succeſſit aliquando apud nos feliciter, etiam in ſeneſcente, floridi habitus, amputatio, cui pes totus, a pondere irruente confractus erat. Sponte natura interdum terminatur feliciter ſphacelus, id quod optimam craſin ſanguinis adeſſe indicat. Nonagenario cuidam, habitus ſtricti, ex pernione ſphaceli initium, haud paruum, in pollice oriebatur, quod, quia aeger bona craſi ſanguinis valebat, in ſuppurationem tranſibat feliciſſimam. Qui in pedibus ſuis ſtagnationes ſanguinis, dolores frigus perpetuum, et talia praeternaturalia ſymtomata ſentiunt ſenes, illi frictionibus praecauere ſtudeant haec mala, et circum volutionibus cum puluere aniſi, leuiter cam-

phora-

phorato, addita farina ſecalina, ad muſculos gaſtrocnemios vsque.

§. CLXIV.

Arthritis duplex interdum ſenes excruciat, *vaga* et *fixa*: haec tamen illis ſolennior eſt, pedes manusque firmiter occupans. Excipit etiam aliquando arthritidem inſultus apoplecticus, et dimidii corporis relaxatio, vti ſupra, in articulo de Hemiplexia allegatus caſus docuit.

§. CLXV.

Podagra ſolennior ſpecies arthritidis ſenilis eſt. Hanc curandi innumera eſt methodus: cautelae ſimul innumerae. Plurima pars medentium, ne temere agere videantur, remouendo remote noxia, parum ad rem facit: ſic et plurima pars aegrorum, ex meticuloſitate retroceſſionis, rem vti eſt, ſini cupit: inueteraſcunt itaque ſaepius arthritides fixae, chiragra et podagra. Sexagenarius quidam, robuſtus, diu vomitibus matutinis obnoxius, a quibus potu aquarum Pyrmontanarum, Petropoli bibitarum, liberabatur, cum podagra corriperetur furioſa, et quam cautiſſime tractari vellet, eo omnes cautiones vergebant, vt morbus ſibi relinqueretur. Non cedebat autem podagra ſibi relicta, ſed tumore, et rubore inſolens dominabatur per annum continuum absque remiſſione. Accedebat chiragra, tunc anxius aeger varia petebat, domi et foras, ex Batauia, et Anglia, conſilia: quae primario eo tendebant, vt aeger laxantibus vteretur frequentiſſime. His itaque, et quidem aloëticis, adeo ſe tunc tradebat aeger, vt per quinquennium quotidie illis vteretur, ſub quorum vſu (an ex illo, an ex temporis medela) pedes vix a tumore et rubore liberi euadebant, ſuſti-

nendo corpori tamen toti impares. Superueniebat aegro, hoc temporis ſpatio, bis colica cum diarrhaea, et tumoris podagrici pallore, quae res illum valde terrebat, et a laxantium vſu per hebdomadem feriari cogebat, vomitus autem, vtpote in ancipiti tali caſu magis ſonticum, ſe, bonis auibus non adſociabat: forſan, quod et inueterata et immobilis podagra ad dictam illam retrogreſſionem inepta fuerit. Haemorrhoidum fluxum ſibi conciliari optabat aeger, ideo, vna et altera vice, ſanguis, per hirudines ano applicatas, alliciebatur: verum, nec haec tentamina, nec diuturnus aloëticorum vſus illas prouocabant. Erat de cetero vir robuſtus, et durante hac podagra quinquennali et vltra, adhuc floridi corporis habitus, anteactis annis vino Hungarico multum deditus, cuius tamen nunc, vigente podagra, quinque tantum vncias quotidie capiebat. In alium locum tandem delatus, poſt ſexennium, pedibus ſuis antea totus reſtitutus, diem obiit ſupremum. Licet podagra ſit inflammatio partium cartilaginoſo-tendinoſarum inflammationem tamen eryſipelaceam, quae tendinoſo-muſculoſas partes occupat, in permultis circumſtantiis imitatur, ideo methodo, haud multum diſſimili, tractanda.

§. CLXVI.

Teſtantur podagrae et chiragrae habituales, abundare in ſuis ſubiectis materiam degenerem, ſalſam, rodentem, quae ad articulos decumbit, et in calcaream ſubſtantiam exareſcit. Supra, vbi te mutatione, quam ſanguis ſenilis ex aetate accepit, ſermo fuit, arthriticorum ſanguinem ſale volatili abundare diximus, et hoc ex experimentis chymicis PINELLI habemus, quibus apertum fecit, libram

vnam

vnam et decem vncias ſanguinis podagrici, dediſſe phlegmatis drachmas duas, olei combuſtibilis gr. xv. ſalis alcali vol. drachmam vnam et grana octo, ſalis alcali fixi drachmam ſemis: hincque ratiocinari licebit, bonam craſin ſanguinis podagrae non feracem, contentis, ſi non in totum contrariis, attamen nominatorum in parciore quantitate, aliaque proportione conſtare.

§. CLXVII.

Qui vomitu et ſoda interdum laborant podagrici, inſidias metuant: habent enim his ſymtomatibus indicibus diſpoſitionem ad podagrae remiſſionem, materiae acris decubitum ad articulos non ſufficienter promouentem, ideoque periculoſam: aſſociat ſe enim facile, quicquid in maſſa ſanguinea eſt acre, materiei acri, quae, teſte ſoda iam haeret in ventriculo. Confugiendum tunc ad nitrum, et quae ſodam edomant radicitus, ad aquas ſelteranas, ſolas, vel lactis ſub connubio, potas. Externe valent in paroxyſmo, oleoſa, ſubtili et amico ſale volatili praedita, e. g. oleum terebinth. aethereum, et eius balſ. ſulphuris, iuniperi, imo, caieputi, non niſi in puncto dolente exſangui applicata; partes enim tendinoſae exſangues facilius ferunt talia, cum exaeſtuatione reſoluentia, quam partes muſculoſae ſanguine magis refertae, quod et in applicatione chirurgica valere notum eſt. Sanguineis, tendinoſisque partibus enim, arthritide affectis, magis conueniunt oleoſa temperata lenientia, e. g. ol. ouorum largiter, et ſaepius illitum, inprimis illud, quod rudi, et vt ita loquar, ruſtica encheireſi, paratur, dum vitellum oui ad eximiam duritiem coctum, forfici infigitur, et candelae ardenti applicatur, qua toſtio-

ne fuligo, liquamini oleoſo ſecedenti, et deſtillanti, miſcetur, in qua vim paregoricam haerere notum eſt.

§. CLXVIII.

Fugiantur in victu cibi fumo exſiccati, ſaliti, aromate conditi, cereuiſia ex malto fumato cocta, vinum tartaro abundans, caſeus putridus, et quicquid experientia aegro iam ſuaſit fugiendum, quicquid etiam in Eryſipelate vitandum ſuaſimus. Serum lactis conuenit, cum coagulo, vel ventriculo vituli retiformi ſiccato, paratum; vino aſuetis, ſerum etiam cum vino Canarienſi parari poteſt. Fricentur pedes, manu ſuſpenſa, quantum ferunt, vel etiam cum excutia: corpus reliquum vero, panno *flanell* dicto, vel aſperiori fricetur. Si pruritus in partibus, illis, quae dolent, vicinis, asbeſto, arillis cynosbati, etc. excitari poteſt, leuamen eminens inde naſcitur. Veſicatoria ſuaderem, niſi metus foret, cantharidum ſale volatili auctum iri, illud ſanguinis abundans nociuum. Partes arthriticae rarius denudentur, quia aër peripheriam, ſudore relaxatam, reſtringit, et doloris augmentum reuocet.

§. CLXIX.

Quoad praeſeruationem a paroxyſmis, illorum quidem recurſum penitus auertere, non ſuadetur a multis Medicis, metuentibus e paroxyſmi emanſione certo decubitum iri ſanguinem acrem a viſcera. Interim dantur grandaeui, qui partim venaeſectione, partim autem quotidiana pedum frictione, ab inſultibus paroxyſmi, per multos annos, immunes, et in omnibus incolumes vixerunt. Venaeſectiones, ter vel quater per annum repetitae podagram mitigant, eo ipſo, quod euacuent abundanter, et absque ambagibus, lympham ſeroſam ſenum, acreſcentem.

Certe,

Certe, venaeſectio in manifeſta lymphae acredine plus valet, quam euacuationes per diaphoretica et diuretica: non ſit autem ſanguis iam a craſi totus delapſus, et viſcera, a ſtaſi lymphae, corrupta, nec ſanguinis defectus, verbo, ſtatus aegri cachecticus, in quo omnis ſanguinis auacuatio periculoſa eſt.

§. CLXX.

Ad arthritidem fixam pertinet *malum iſchiadicum*, cui ſenes ob tendinum muſculorum crurum et coxarum gracilitatem, per aetatem natam, facile exponuntur, ſimul ac ſanguis refrigerii occaſione, vel ex alia cauſa ibi ſtagnat. Tenduntur autem non omnes muſculi ſimul in dolore iſchiadico, vel vnus vnice, ſed manent immunes, nunc illi, qui ambulare faciunt, nunc qui deſidendo in actione ſunt, vt plurimum autem illi dolent, qui decumbendo officium ſuum praeſtant, hinc illa nota doloris variatio. Praecipuum remedium eſt in venaeſectione, in emplaſtro ſaponaceo, et in decocto lignorum. Coxae praeterea caligis obtegantur ſpiſſioribus, imo pellitis. Diaeta etiam hic conuenit lactea, inprimis in coena. Interdum non niſi veſicatoriis cedit, hic magis admittendis, quia maſſam ſanguineam ſale volatili acri nondum abundare, credibile eſt. Oleum Caieputi illitum etiam valet.

§. CLXXI.

Arthritis vaga, eiusdem materiei ſoboles, ſaepe etiam ſenes excruciat, quando lympha a dulcedine diuergens, nec tota acris, ad partes decumbit, et circulationis ope, rurſus diſſoluitur. Haeret talis lympha in articulationibus laxioribus, e. g. brachii et genuum, et occupat tendines ampliores muſculorum; id quod arthridis fixa rarius agit. Mani-

feſtat ſe ſaepius illa lymphae viſcida acredo per felicem metaſtaſin ad cutim, puſtulis purpuraceis ardentibus, vti et in iunioribus puſtulis pellucidis, cum maiore autem periculo. Decocta lignorum temperata totam curam fere abſoluunt, additis nitratis, et largiter cinnabarinis. Interim, vbi aeſtus vrget, non ſolum venaeſectiones, ſed et ſcarificationes in vicinia dolorum valent: attendendo, dum euacuationes ſanguinis, in ſenibus, vltimo fere loco, commendamus, quae de periculis inde obſeruatis monuimus. Laxantia mannata, tamarindinata, et rhabarbarina ſunt neceſſaria, vt eliminetur per omnes vias, quod inhaeret lymphae ſal noxium, antequam pedem figat firmiorem. Commendando *largiter cinnabarina* recordor quidem Medicorum, vſum cinnabaris videntium eundemque rationibus a priori, et experimentis chymicis probabilibus reprobantium. Verum, quamdiu in officina chymica ventriculi, illorum aegrorum, qui multum pulueris antiſpaſmodici STAHLII conſumſerunt, non monſtrabitur cinnabaris illaeſae manſa, tamdiu proprio ratiocinio, de poſſibilitate reſolutionis in ventriculo, et auctoritati STAHLII, practici et chymici ſummi, inhaerebo.

§. CLXXII.

Scabies eſt morbus cutaneus ſtrigoſorum, plerumque, ſenum, quorum ſanguis materia bilioſo-ſalſa abundat. Contingit autem, quando haec materia ob viſciditatem ſudoris ſub forma, excerni nequit, ſed circa vaſorum vltima orificia et poros haerens acreſcit, et in puſtulas viceraſcit. Sudorem autem ſenilem pinguiorem, hinc craſſiorem eſſe, in capite primo, monuimus. Aethiops mineralis, et antimonium

nium crudum, ſingula, per interualla, ſeparatim ſumta, omne abſoluunt punctum. Interim conducunt etiam rad. ſaſſaeparill. cichorei, glycirrhizae, et ſimilia. Conducunt etiam nitrum, aquae ſelteranae, et talia. Exulent in cibis aromata, fictus fumatus et multum ſalitus. Conducunt lacticinia, farinacea, potus tenuis, decoctum auenaceum, etc. Externe proſunt balnea ex furfuribus triticeis, malua, et mucilaginoſis talibus, parata, parum tepida, imo frigidula, niſi quid obſtet. Sebum ouillum, induſiis obductum, cuti applicetur. Remedium egregium. Trahantur ſimul in vſum alui ſubductiones, per mannam, vel tamarindinata decocta, cum ſero lactis. Grandaeuus quidam, ex cingulo mercuriali ſaliuationem, non intentam, incurrebat, moleſtam quidem, aſt a ſcabie liberantem. In vertice interdum ſenes pruritum ſentiunt moleſtum, vt locum prurientem omnibus viribus ſcalpere teneantur; ſpiritus vini affrictus hanc moleſtiam quidem tollit; ſed attendenda Obſ. 51. A. VI. Dec. I. Ephem. de pruritu in vertice ſenis, febrem malignam, praecedente, cum eryſipelate colli et brachii, tandem lethali. Saepe hic pruritus ſuper ſuturam coronalem exiſtit, comitante ſimul eius eximio calore, imo leuiore tenſione; tunc animaduertendum ad vertiginem, aliosque ſonticos affectus; noua cula ſaepius remouendi capilli, et haec regio ſapone ſaepius extergenda pro tranſpiratione perpetua. Addo tandem ex Ephem. N. C. D. I. A. IX. Obſ. 11. pruritum cutis octogenariae, cum horrore febrili inuadentem, curatam abundanti potu lactis cum aqua, interpoſitis ſanguinem purgantibus, et inſperſis cuti, glycyrrhiza, ceruſſa et myrrha.

§. CLXXIII.

§. CLXXIII.

Memini duorum primi ſenii virorum, ſcabie vexatorum. Vterque vini amans erat, et quidem gallici, quod propria ipſorum cella ipſis miniſtrabat. Alter omnium ſanguinis purificationum, quas per decocta praeſcripſeram, taedioſus, vinum, quod ipſi noxium iudicaueram, et quod huc vsque, ex meo conſilio omiſerat, repetebat, et more ſolito, non exceſſiuo tamen, in prandio et coena, liberius forſan nihilominus paulo, bibebat, et a ſcabie liberabatur. Alter huius ſapidae, et dilectae, medicinae gnarus factus, vnice conſeruam bardanae radicis inter medicamenta ſibi reſeruabat, de cetero autem, interdicto vino rurſus indulgebat, tranſpirationem cutis ſibi inde liberiorem natam eſſe depraedicans, et ſub vini vſu etiam ſucceſſiue ſanabatur. Diceres, medicamenta ante adhibita fundamentum curae praebuiſſe; interim indulgendum interdum conſueto vitae regimini. Conf. Caſum Vol. V. Comm. Lipſ. p. 477. octogenarii, qui pruritum, ad cachexiam, et pedum oedemata, ſphacelum minitantia vsque, tulit, praeter fomentationes conuenientes, libere vino vſus eſt, ad ſomnum profundum vsque, et, ab omni moleſtia, ſanitati reſtitutus, adhuc per aliquot annos vixit. Ephem. N. C. Vol. II. Obſ. 175. praebent diuturnam ſcabiem Medici, quae ſoli balneo laconico ſaepe cedere viſa eſt; tandem poſt largiter potum bonae notae vinum Hungaricum, euaneſcentem. Interim, exempla quidem mouent, non ſemper docent.

§. CLXXIV.

Moniti a ranchino, *Incuruationem* ſenilis corporis, ad affectus ſenii pertinere, merito illam hic

intercalamus, licet incurabilem ab illo pronuntiatam. Suadet tamen, vt adhibeantur, quae caput retrahant, pedes roborent, et vertebras dorſi in ſitu naturali contineant, nullis adiectis remediis, his indicationibus, applicandis. Si tamen in moleſtiſſimo hoc affectu, in quo ſubinde mentum illorum pectori inſidet, tentare lubet, id balneis, vnctionibus et frictionibus, nutrimentum in vertebras et ligamenta colli agendum eſſe cenſemus. Conf. Cap. I. §. XLIX.

§. CLXXV.

Maraſmus ſenilis eſt languor ſenum hecticus, i. e. habitum corporis conſumens, ex ſanguinis aeſtu, moderato quidem, nec paroxyſante, aſt praeternaturali continuo. Impeditur eo ipſo ſecretio liquoris, ſeu fermenti ſpecifici viſcerum, cuilibet, ad functiones praeſtandas, neceſſarii. Hinc ventriculo deficit liquor gaſtricus, vnde anorexia: ſyſtemati autem neruoſo conſequenter ſubtrahitur magna ex parte, nectar illud vaporoſum ad oeconomiam corporis neceſſarium, vnde virium proſtratio, et quae ex aeſtuoſa illa ſanguinis diſcraſia ſequuntur plures corporis defectus. Licet etiam interdum, vti, e. g. ſupra, vbi de forma ſenum interna egimus, in femina 70 annorum allegata, ventriculus officium, ex parte, vel integre agat, ſanguinis tamen rodens exaeſtuatio, corpus exurit, vti in illa factum.

§. CLXXVI.

Haec ſanguinis inteſtina aeſtuoſitas temperanda eſt ſero lactis, imo ipſo lacte maiali, vaccino, vel quod prae caeteris ad longaeuitatem commendant Auctores, aſinino. Poſt haec, vel cum interpoſitione, pomis maturis, recentibus, coctis, aſſatis, vuis paſſis maiori-

maioribus vel minoribus, caricis, prunis dulcibus ſiccatis, baccisque variis gratis illam corrigere commodius et ſecurius eſt, quam medicamentis. Cereuiſia ſit leuiſſima, non lupulata: vel fiat potus ex infuſione panis ſiliginei crudioris citrata: pro conſuetudine, vinum generoſum Moſellanum ſufficienter lymphatum, vel lacti cocto adfuſum, vt ſerum inde ſecedat vinoſum, quod pro analepſi ſaccharatum bibatur. Emulſiones ex pineis, amygdalisque dulcibus, optimis, proſunt. Vtilis praeterea eſt conſerua roſarum, conſolidaeque maioris, vtraque vetuſta: ſimiliter decoctum auenaceum Loweri, decoctum furfuris tritici, et ſimilia. Vt etiam inteſtini duodeni glandulae, et qui ſe in illud exonerant ductus, extergantur, nec mucum ibi accumulent moleſtum, abſorbentia dentur acido citri, vel tartari mixta, e. g. ſolutio oculi cancrorum cum acido citri facta, etc. Aluus clyſteribus emollientibus, vel Elect. Lenitiuo aperta teneatur. Lauacra denique, et balnea frigridula, parata cum decoctis herbarum emollientium gratarum, nec non roſarum, non incongrua ſunt. An per teſticulos, ad mentem RANCHINI, analepſis quaedam locum habeat, probandum. Multum etiam valet aëris temperati, vmbroſi, non tamen frigidi, nec abundanter humidi hauſtus. Proſunt itinera commoda, in curru vel equo, ad menſuram virium inſtituta. Quemadmodum etiam animi moerores maraſmum augere, ſi non ipſi producere valent, ita animi exhilarationes, illum minuunt, et caducas vitae vires erigunt.

§. CLXXVII.

Non taedioſum fore Lectori ſpero, ſi, antequam ſcenam morborum ſenilium claudam, ex BARTHOLINI

LINI Actis Haffn. Vol. I. curam maraſmi ſenilis adducam, in ſocero Auctoris feliciter patratam, tam ob curae concinnitatem, quam ob Bartholiniani ſtyli elegantiam, ſequentibus: LXXIV. aetatis annum agebat Conſul Haffnienſis, emeritus, ſocer meus, Chriſtophorus Iohannaeus, cum, maraſmo ſenili quaſi oppreſſus, extrema, vere praeterito, videretur exſpectare: proſtratus appetitus, aluus obſtructa, tuſſis moleſta, orthopnoea, pulſus nonnunquam intermittens, habitus corporis ſiccus, et contabeſcens, lentusque calor, ſiniſtrum morbi ſenilis euentum portendebant. Cuncta pro aetatis ſtatusque praeſentis ratione difficilia: inprimis terrebant nos lenes tremores, ſingultus frequens, et deglutiendi difficultas, remora quadam, in dextro latere, circa hepatis regionem, obſtante. Conclamatus omnibus videbatur, non mihi, cui viri robur notum, quique pulſum intermittentem alias in illo obſeruaueram. Diligenti cura mecum, pro ſenis bene meriti ſalute inuigilarunt D. Simon Pauli, et D. Henr. a Moinichen. Hinc clyſteribus aluus ſoluta, cordialibus natura ſubleuata, emulſionibus deglutitionis viae deterſae, et humectatum corpus, iuſculis conſummatis vires conſeruatae. Tantem inter lentam ſpem et remediorum taedia, ſolſtitio aeſtiuo natura eluctata emerſit, aluus ſua ſponte ſoluta, ciborum appetitus reuerſus, calor lentus exſtinctus, deglutitio integra, omnia ſana, Dei et naturae beneficio, ſtupentibus medicis, amicis gratulantibus. Denique cuticulam exuit, quaſi reſumta iuuentute, vtinam diuturna. Annecto merito, ex Vol. V. horum Actorum, p. 120. votam hanc diuturnitatem vsque ad annum aetatis, huius ſenis 82dum duraſſe, quo fatis

T ceſſit,

ceſſit, poſtquam ipſi maculae ſanguineae, *absque tumore*, in pedibus effloruerant: eodem ſub ſchemate, quo matri Auctoris, annum 84tum agenti contigerant.

§. CLXXVIII.

Haec ſunt, quae de morbis ſenum producere memoratu digna mihi viſa ſunt, in quorum pertractatione primarium ſolum tangere animus fuit. Incidunt quidem adhuc in mentem, alii affectus ſenibus familiares, quam iunioribus, e. g. ſpaſmi crurum, ſurarum, ex tendinum in ſenio, minore flexibilitate et hinc ad agendum irregularitate, facile inſurgentes, calore ſolo praeueniendi et fugandi; ſubſultus tendinum muſculorum femoris; ſoda, ex liquoris gaſtrici ad corruptionem inclinatione, et reliqui, quos omnes, quia ſunt leuioris momenti, tranſeo.

§. CLXXIX.

Cum itaque de morbis et incommodis actum ſit, quae aetatem ſenilem vexant, ſilentio plane non inuoluendae ſunt *immunitates*, quibus ex ipſo ſenio fruuntur ſenes, et mentio facienda incommodorum et morborum, quibus aetas ſenilis, prae aetate iuniore, minus afficitur. Peſtis inter morbos tyrannus habitus grauiſſimus, non facile corripit ſenes, id quod experientia locuples dedit, et quod teſtantur Eph. N. C. D. III. A. IV. Confirmant hoc DIEMERBROECK, aliique, qui de Peſte ſcripſere. HOECHSTADTERVS in Obſeruatt. ſuis recenſet, grandaeuas feminas, ex vitae faſtidio, contagium peſtiferum per decubitum in lectis peſte mortuorum, mortem ſibi inducere voluiſſe, ſed absque ſperato effectu; cum tamen peſtis in ſexum femininum plus graſſari ſoleat, quam in maſculinum. Sanguis ſenum ſalino-

vappi-

vappidus non facile aeſtum putredinoſum ſubit, et fibrarum ſenilium durities reſiſtit ſtaſi carbunculoſae et bubonali. Sic et graſſantibus aliis *febribus petechialibus, acutis, intermittentibusque*, ab iisdem morbis magis immunes ſunt. Si vero a febribus intermittentibus grauiter corripiuntur, vel affectu apoplectico ſoporoſo decedunt, vel in horrore febrili, ſub quo ſanguis verſus cor coaceruatur, et cordis virtus eo ipſo ſupprimitur, obeunt. Nec praetereundum, quod in magna epidemia catharrali febrili, ſenes plurimi occumbant, quia in hoc morbo pulmones maxime laborant, quorum robur et coſtitutio bona, in ſenio multum deficit. Si a *variolis* interdum corripiuntur ſenes, modo viſcera habeant ſalua, ex beneficio habitus corporis inertis, feliciter emergunt. *Scorbutus*, in iunioribus grauibus ſymtomatibus furens, ſaluos mittit ſenes, (niſi ſcabiem, iniuſte, huc referre velis) aeque ac mulieres. Et quae ſunt reliqua. Conf. etiam, quae Cap. I. §. LXXXIX. in quo diſſimiles ſint ſenes, a pueris, circa morbos.

CAPVT III.

De methodo ſaluam longaeuitatem acquirendi.

§. I.

Licet, vti in capite praecedente vidimus, ſenectus morborum grauium et periculoſorum ſit ſatis ferax, nihilominus ſenectutem longaeuam, et ſal-

uam, plurimi hominum anhelant. Sat recte, ſi illa ſimul cum vigore animi et corporis in ſumma ſenectute frui, a benefico Creatore datur. Quae enim iucunditas! immenſi Creatoris immenſa opera oculis, et animo, tam diu vſurpaſſe; rerum viciſſitudines, et reuolutiones, per tot annorum luſtra obſeruaſſe; nepotum nepotes ſibi adſtantes videre, et blanditiis, confabulationibusque illorum ſerena, et beneuola fronte frui; in illis primordiales propriae vitae actiones, animo repetere, et qui ſunt alii, vigentis ſenectutis dulces fructus, et deliciae, donec longa annorum ſeries emigrationem, tandem neceſſariam, ſerio meditari moneat, et nos, vitae ſatures ad coeleſtia inuitet.

§. II.

Haec felicitate, vt beentur homines, variis ſtudent modis, licet etiam ſint, qui his neglectis ad eundem pertingant finem. Sunt qui ad hunc ſcopum, eo certius, obtinendum, rem, a primordiis generationis, et ab ouo adornandam eſſe putant, et docent. Praecipiunt nempe, ad hominem generandum, longaeuum futurum, vt parentes ſeruent optimam diaetam, et ob generationis negotium, ſe inuicem ardenter ament; vt qualibet ſeptimana balneis, et frictionibus vtantur, et vt illorum congreſſus menſe Maio fiat, tempore ſcilicet verno, quo natura in omnibus animantibus, ad amorem reuiuiſcit et viget. (Mirum, quod non iuſſerint Borea flante congredi, quemadmodum id oeconomi multi imperant, vt, illo flante ſatio frugum fiat.) Porro, vt ante congreſſum corporis purgationibus vtantur: femina impraegnata, vt ſecundum regulas diaeteticas, et bonum vitae regimen viuat. Vt homo ſub

his

his praegreſſis cautelis natus conuenienter nutriatur, et vt obſeruentur omnia, pro norma rerum non naturalium, quae ad hunc ſcopum facere poſſunt. Hinc primario habitationem in locis ſalubribus montoſis ſtruendam eſſe volunt, qua aër hauriatur purus et ſubtilis, ſanguinis elaterem alens, et roborans: vt ad domicilium ſit aqua optimae conditionis pro victus vſu: adſint vegetabilia alimentoſa optime nutrientia, et facilis digeſtionis animalia. Temperantiam ſeruent in cibo et potu; corpus motu et laboribus moderatis exerceant; veneris parcum vſum admittant; animi tranquillitatem in omni vitae curriculo ſeruent, et praecipue moerores euitent. Haec omnia, vt feliciter ſuccedant, commodam, et inopia carentem vitam, multum ad ſcopum facere pro certo habent, vti talia in VERVLAMII, HOFMANNI, ZWINGERI, aliorumque bonae famae Auctorum operibus leguntur; adde HELMONTIVM de nutritione infantum ad vitam longam. Et quo nihil, de obuiis reticeam, HERMIPPVM produco ex halitu puellarum longaeuitatem haurientem: et quae ſunt plures, variae farinae, ad longaeuitatem acquirendam commendationes, in artis formam fere redactae.

§. III.

Includuntur aliae quaedam ad longaeuitatem datae regulae, in aſſertis quorundam longaeuorum, quibus cauſas et modos indicare voluerunt, quibus mediantibus longaeui facti fuere. Sic quidam his modis longaeuitatem ſe acquiſiuiſſe edicebat: frequens mouebar, raro angebar, vix helluabar, parum rixabar, non libidinabar. Alius: cruda vitaui, dulcia guſtaui, calide me tenui, et ita conſenui. Alius, ſequen-

ſequentibus regulis gallicis longaeuitatem promiſit: leuer à ſix, diner à dix, ſoúper à ſix, coucher à dix, fait l'homme vivre dix ſois dix. Apud verulamium longaeuus quidam edixit, ſe ediſſe ante eſuritionem, et bibiſſe ante ſitim. Galeni longaeuitatis cauſa haec fuit, quod nunquam ederit, nec biberit ad ſatietatem, ſed ſemper parum eſuriens, et ſitiens reſtiterit. Philoſophus Pollio de acquiſita ſibi longaeuitate, reſpondit: ſe intus mulſo, extus oleo corpus curaſſe. Alius, quod ferendo ſtultos, longaeuus fuerit factus, et quae ſunt his ſimilia, et facilioris ad longaeuitatem praxeos, quam quae in §pho praecedente iubentur.

§. IV.

Haec enim, §. 11. licet per ſe non ſint reiicienda, ſed potius, partim aliquatenus, partim in totum probanda, tamen plurium illarum cautelarum inanis erit obſeruatio. Equidem probabile eſt, coniuges optime valentes, promittere valentes infantes, et ex coniugibus phthiſicis, cachecticis, paralyticis, robuſtam ſibi promittere prolem, non eſt rationis, quia ſaepe haereditarii aliquid mali ad infantes tranſit; nihilominus ſaepe obſeruare licet, a talibus coniugibus robuſtos eſſe generatos homines. Si homo nouiter natus non prouide ſatis nutritur, quis de eius incremento ſpem capiet? videmus interim, quomodo pauperes, dum vix habent, quibus ſe ipſos nutriant, alimentis, liberos etiam ſuos viliſſimis eduliis alant; et quod maxime punctum ferit, quod plurimi longaeuorum nati, et educati ſint a pauperibus, quorum alimentatio viliſſima et neglectiſſima ſemper eſt.

§. V.

§. V.

Aërem montoſum ventis magis agitari, vaporibus minus repleri, et ſic ſubtiliorem et puriorem eſſe, quam qui planitiem premit, et vallibus inſtat, quis ignorat? plurimi tamen longaeuorum, vel planitierum, vel inſularum depreſſarum, vel vallium fuerunt incolae, vel piſcationi vacarunt, vel domibus, e. g. monaſteriis incluſi fuerunt, vel plurimam partem vitae, herbis, pratis, et locis vdis indormiuerunt, vti e. g. ruſtici et milites. Quid de cerdonibus quibusdam longaeuitati proximis dicendum, qui perpetuo putridas coriorum exhalationes hauſerunt, et ſanguini ſuo communicarunt. Eadem ratio valet circa aquarum ſalubritatem: aquam puram, et leuem magis conuenire ad ſanitatem, et longaeuitatem, a priori, indubium eſt: ecquis autem neſcit militum fata circa potum, ſecundum quae, poſt ſitim ex laboribus, et ex ardore ſolis perpeſſam, ſaepiſſime aquam ex paludibus haurire, et illa ſitim ſedare coguntur; et tamen inter illos reperiri longaeuos.

§. VI.

Pariter de cibis: fruges bonae conditionis, et animalia tenerarum, et facile digeſtibilium carnium, non ſolum magis nutrire, ſed et ſanitati, ad aſſequandam longaeuitatem conuenire, quis dubitat? milites autem iterum produco in ſcenam, qui nunc fame laborarunt, nunc cibos crudos varii generis, per magnum vitae curriculum ad victum ſumere coacti fuerunt. Lappones ſiſto, egenos illos Euroboreales, qui pane et ſale carentes, ex piſcibus in cauernis, ad putredinem fere adſeruatis, ex radicibus et corticibus plantarum et arborum, vti glires

et caſtorei, cibos corraſerunt, et longaeui facti ſunt; excipiendi autem hic ſunt Sueciae ſubiecti, quos LINNAEVS allegat locupletes, rangiferis diuites. Calmuccos denique prouoco longaeuos, qui non ſolum ex canum, glirium, felium, luporum camelorum et equorum carne victitarunt, ſed ſaepiſſime, ex talium, morbo vel fame enectorum animalium carne: vt taceam illos Braſilianos ſupra citatos longaeuos, qui mortuos parentes, cum euphoria comedunt. Ecquis, his conſideratis, in cibis ſelectis, et exquiſitis longaeuitatem radicatam credet? Concedo quidem, intuitu harum victus enormitatum, fructum longaeuitatis horum populorum deberi conſuetudini, et vitae generi connato, ex quo tali gaudent ſanguine haereditario, qui etiam eiusmodi alimentis conſeruari vult, et debet: iterim, ſi tales enormitates, cum regimine vitae irregulari et ſoluto Europaeorum comparamus, in irregularitate enormi conuenient. Porro, quoad temperantiam in cibo et potu, quod quotidie videmus perire homines ex eius neglectu? nihilominus interpellans illa militum intemperantia, non impedit aliquorum longaeuitatem, et ex caſu ſupra, in capite primo allegato, de centenario, quotidie ex ſpiritu frumenti ebrio, apparet, nec talem exceſſum longaeuitatem impediuiſſe; taceo magis ſtupendum caſum nouum, cuius mentionem feci, Capite II. §. CII. de longaeuo 112 annorum, in aetate praegreſſa quotidie ebrio. Quoad veneris vſum: quantum illi indulgent permulti populorum Aſiae, inprimis Calmucci et Chinenſes! et tament permultos exhibent longaeuos. Salaciſſimos Floridae inſulae grandaeuos fieri indicat DAPPERVS.

§. VII.

Quod denique attinet, mentis tranquillitatem, fatendum quidem huius defectum, plurimum contribuere ad abbreuiandam vitam, quam reliqua omnia vitae commoda, ad illam prolongandam; vidi enim homines ex rudibus et egentibus regionibus, in quibus vitae commodis caruere, ſuo ingenio autem contenti vixere, in temperatiorem non ſolum regionem ſeductos, ſed et omnibus reliquis vitae commodis prouiſos, vnice ex moerore quod a ſuis, et ex ſolo patrio euocati fuerint, paucos poſt menſes Noſtalgia obiiſſe. Primaria certe eſt cauſa, ſi non longaeuitatis, tamen prouectae grandaeuitatis, quae in monaſteriis obſeruatur, quod homines, animo ſpontaneo, haec loca ingreſſi ſint, in quibus, curis omnibus ſoluti, perpetuo ſerenam colunt animi tranquillitatem. Opponi quidem his poſſit militum ſors, quae animi tranquillitatem non permittit, et quod nihilominus illa aliquibus longaeuitatem attingere permittat: conſiderandum autem, milites tumultuario vitae generi aſſuefieri, et ſucceſſiue intrepiditatem, et incuriam tranquillitatem acquirere: omnes enim fortunam altiorem non anhelant, miſerrimam, cum OVIDIO deſperante, tutam et manentem putantes. Vltimo, halitui puellarum tribueremus virtutem ad longam vitam, ſi praeter HERMIPPVM, et de aliis narraretur haec ad longaeuitatem experta puellarum efficacia.

§. VIII.

Inanes plures, non omnes, ſupra, appellauimus datas ab Auctoribus ad longaeuitatem acquirendam cautelas, et ſic etiam ſentimus: nam in quibusdam haerere aliquid ad ſanam vitam, et inde feliciter ma-

 nantem

nantem longaeuitatem non negamus. Illarum autem erit inanis obſeruatio, quae praecipiunt, vt coniuges ſe ardenter ament, vt qualibet ſeptimana balneis et frictionibus vtantur, vt illorum congreſſus celebretur tempore verno, menſe Maio, et vt ante congreſſum corporis recrementa euacuentur: quis enim parentum harum rerum memor fuit, ne dicam patrator, qui filios generarunt longaeuos? non morantur enim talia viuacitatem ſeminis, et ouulorum humanorum, licet in puncto ſterilitatis, et impotentiae, nec non impedimentorum quorundam generandi conſiderationem quandam habere poſſunt. Naſcantur etiam ex parentum, et illorum organorum generationis vitio homines teneri, debiles, tam quoad ſtructuram, quam ſanguinis craſin, vt ſint delicatuli, imo rachitici, illos nihilominus videmus ſaepe prouectum ſenium attingere, licet longaeuitatem illos acquiſiuiſſe, ſit rariſſimum. Talibus autem, de reliquo, neceſſarium ducimus, regimen vitae exquiſitum ſequi debere.

§. IX.

Quis non riſit HVARTVM, qui in *Scrutinio* ſuo *ingeniorum* artem ad liberos excellentis ingenii procreandos docuit. Certe, nec ad ſtructuram corporis extraordinariam (nam ſic pulchritudinem natiuam, per artem acquirendi, etiam anhelaremus) nec ad vires vitales ad longaeuitatem neceſſarias, nec ad facultates animi excellentes, per generationem acquirendas, doctrina quaedam ducere valet. Quis imperſcrutabilem cerebri, animi organi, intimam conditionem, pro arbitrio, formare poterit? ne dicam de facultatum eſſentia et excellentia. An arte quadam, vel methodo, ab Auctore indicata, producta

ducta ſunt, quae extiterunt, excellentia ingenia? Multum ſane praeualerent huiusmodi hominum fabricationes, prae illis, quae tantum ad longaeuitatem laborant. Vtinam poſſibile eſſet hanc vnice attingere metam! Si autem longaeuitas cum excellenti ingenio combinari poſſit, diuinum quoddam hominum genus procrearetur. Deſipientia, quae multis grandaeuis et longaeuis propria eſt, locum non haberet. Equidem negare nequeo, in longaeuis aliquibus magnam apparere ingenii excellentiam; quis enim, noſtris temporibus, neſcit FONTENELLIVM celeberrimum, et Luſitaniae Legatum d'ACVNHA, vtrumque centenarium factum, vtrumque Pariſiis mortuum, ingenia excellentia poſſediſſe. Nec antiquitas caruit longaeuis, ſplendidis ingenii donis ſuperbientibus; verum, haec eminentia, vnice ex perfecta conſtitutione partium ſolidarum, et ſic etiam cerebri, et fluidarum corporis, longaeuitatis fundamento promanauit, nulli artis ſtudio tribuenda, niſi eruditioni, et educationi, quae organi animi vſum amplificauit, aliquid tribuas. Rara autem ſunt horum exempla: praecocia excellentia ingenia minus cum ipſa vita durant, quia ipſis deeſt illa conſtitutio corporis, cum praeeminentia perfecta.

§. X.

Rebus ſic ſtantibus, quid doctrinae, vel conſilii ſupereſt ad acquirendam vitam longam? an forſan ex medicamentorum virtutibus longaeuitas hauriri poterit? Tribui quidem quibusdam has virtutes, quotidianae ſchedulae perſuaſoriae docent, de effectu autem ſilent. Res probatu, vel ideo, difficilis, quod Auctores, et ſuaſores talium medicamentorum ad longaeuitatem ipſi, diu ante longaeuitatis annos,

non

non fuerunt ſuperſtites. Sunt pleraque talia arcana vix auro redimenda. Quis autem illorum, qui vitae commodis fruuntur, pro commodae vitae prolongatione, aurum, quod ſupereſt, non largiatur? Balſamum vitae HOFMANNI, grandaeuus quidam robuſtus, quotidie in potu matutino ſumebat; imo in brandio et coena cibis miſcebat quotidie, modice; et ne vlla facilis occaſio, illo ad longaeuitatem vtendi, deficeret, tabaci puluerem, quem pro naſi deliciis adhibebat, guttulis aliquot huius balſami animabat, ex tali corporis ſui balſamatione longaeuitatem ſperans, ſed moriebatur, anno aetatis octogeſimo ſecundo, ſphacelo pedis balſamati.

§. XI.

Cum itaque manifeſto appareat, non in cautelis, coniugibus ad procreandas ſoboles longaeuas, datis, nec in acris ſalubritate, nec in cibi et potus bona qualitate, eorumque vſu temperato, nec in bona fortuna, nec in ſuaui halitu puellarum, (omnes Chinenſium Imperatores enim, qui in aulis ſuis aliquot millia puellarum alere dicuntur, Hermippi euaderent) aliisue laudatis circumſtantiis, nec in praeparatione artificioſa medicinae balſamicae haerere auxilia eſſentialia ad longaeuitatem, neceſſe eſt, vt exiſtant aliae cauſae eſſentiales grandaeuitatis, et longaeuitatis ſufficientes, ſi etiam plurimae fauentes circumſtantiae deſint, imo, ſi aliquae noxiae circumſtantiae ſimul praeſto ſint. Ponimus autem illas eſſentiales et veras cauſas grandaeuitatis et longaeuitatis in perfecta, firmaque omnium partium ſolidarum corporis, et in perfecta mixtura partium conſtitutiuarum ſanguinis haerere; quae cauſae, oui materni et ſeminis paterni optimam conſtitutionem,

nullis

nullis cautelis fulciendam, ſimul comprehendunt. Hanc, ſpontaneam, combinatam, felicem conſtitutionem etiam pro cauſa agnoſcimus, quod adeo rari ſint inter homines longaeui, licet permulti longaeuitatem, cum omnibus cautelis quaerant, cum illa conſtitutio in homine magis raro contingens ſit, quam in animalibus brutis, in quibus conſtantior radicata eſt haec haereditas. Tali felici conſtitutioni, ſi concordant iſtae vitae praerogatiuae, et commoda, quorum mentionem fecimus, tunc neceſſe quaſi eſt, vt inde oriantur longaeui; imo iſtarum praerogatiuarum neglectio longaeuitatem non impedit. Talis conſtitutio non admittit facile cauſas morbiferas, durationi vitae inſidiantes, niſi poſt longam annorum ſeriem, robore vitali tandem deficiende; vel forte admiſſis cauſis morbiferis, fortiter reſiſtit principalibus vitae organis.

§. XII.

Ne autem hac demonſtratione, omnes cautelas, et bonum ſelectumque vitae regimen reprobare, et omnia media ad firmam ſeramque ſenectutem reiicere, eoque ipſo ad irregularitatem regiminis, et ad ſolutum vitae genus inuitare, vel ſtudium ebrietatis (Cap. I. §. CII.) ad longaeuitatem commendare videamur: ponamus eligenda et obſeruanda quaedam, ſi non in illis, qui ad longaeuitatem acquirendam ſponte natura diſpoſiti ſunt, et perfecta conſtitutione corporis gaudent, tamen reliquis, quibus tenera et infirma corporis conſtitutio accidit, illamque in annos ſeniles ſibi conſeruare cupiunt. Non autem hic ab incunabulis, multo minus ante incunabula, et ab ouulo, rem ordiri placet; ſed ponam *hominem adultum*, eumque vel *perfecte*, vel *imperfecte valentem*.

§. XIII.

§. XIII.

Cauebo hic excurrere in ſolutionem argutae quaeſtionis: an detur homo perfecte valens, et annon detur alia valetudo, quam morboſa, prout diſſeritur de hac materia in Eph. N. C. D.I. A. VIII. Obſ. 9. et D.II. A. VII. Obſ. 169. nec non ibid. A. X. Obſ. 64. et an vitioſis humoribus abundare, et ſanum eſſe, poſſint eſſe compatibilia? Nam, quod attinet vitioſos humores, examinandum prius, in quo exiſtat vitioſitas ſanguinis: multiplex enim eſt craſis ſanguinis, et in infinitum varians. Quaecunque non impedit nutritionem corporis, nec vllam functionum vitalium et animalium, illa habenda eſt adaequata partibus ſolidis, et vniuerſae corporis ſtructurae, facileque admittet ſenectutem, imo longaeuitatem. Sic, e. g. rachitici ſanguinem habent reuera vitioſum, male nutrientem, interim ipſorum ſanguis reſpondet partibus teneris rachiticis perfectiſſime, vt ſenectutem prouectam ſaepiſſime adipiſcantur. Ponamus porro, pro exemplo, ſanguinis craſin valde ſalinam; ſi vigent cum illa functiones corporis ad vitam neceſſariae, vitioſam appellare talem ſanguinis craſin nullatenus licebit.

§. XIV.

Sane in populis quibusdam borealibus, plebeiis, qui incredibilem quantitatem ſalis per vitam conſumunt, ſanguinis craſis non poteſt non eſſe valde ſalina; ientaculum enim illorum eſt ſal cum pane, vel piſcis ſalitus, prandium cibus ſalitus, ſalita coena; adeo, vt ſanguis illorum, reſpectu populorum auſtralium Europae, qui minus conſumunt ſalis, neceſſario vitioſus habendus ſit. Sic Calmucci parum vel nihil ſalis, et multum carnis crudae, ſemiputridae

dae comedunt. Lappones, Aſiatici, Euro-boreales, ex piſcibus putridis, radicibus, herbisque, multum viuentes, non niſi vitioſum ſanguinem ſibi comparare poſſunt, et tamen grandaeui fiunt, imo interdum longaeui, vti allegauimus. Regeratur, non eſſe illum vitioſum ſanguinem, qui haereditarius eſt, a primis fere parentibus, et pro conditione ciborum, ab incunabulis acquiſitus; et ſic certe res eſt. Interim, qui vniuerſo cuidam populo, endemius, vitioſus videtur eſſe ſanguis, et reuera eſt, reſpectu alius populi ſaltem ita nuncupandus venit; et talis in omnia alia natione, indiuidualiter ſporadicus dabitur. Sic ſanitas reuera, cum, certo reſpectu, vitioſis humoribus, exiſtere, et compatibilis eſſe poteſt.

§. XV.

Hominem perfecte valentem ſiſtere dubitant ſupra allegatae Ephemerides: ego vero non dubito, hac quidem ex ratione, quod, qui allegantur ſaepius longaeui, non ſolum dicantur per omnem vitam non aegrotaſſe, exceptis morbis puerilibus, ſed et nil morborum ſenſiſſe, niſi leuia incommoda extremae ſenectutis, reſpirationem impeditiorem ad modum, impeditiorem agilitatem, vigilias maiores, ſenſuum debilitationes, et talia, quae ad morboſam conſtitutionem recenſere non licet; quia naturalis organorum fatiſcentia mortem praecedere debet in longaeuis placidiſſimam.

§. XVI.

Quoad valetudinem imperfectam, illa quidem communiter pro morboſa accipitur; et haec multiplex eſt, pro morborum multiplicitate, quam in capite praecedente, quoad ſeniles tantum morbos diſpeximus. Hic loci autem valetudinem alio mo-

do imperfectam ſumimus, nempe, in corporis connata teneritudine, et infirmitate, valetudine nempe, inſigni gradu minore, reſpectu illius, qua gaudent robuſti, perfecte valentes, quae ideo non eſt morboſa appellanda. Ex talibus imbecillibus ſubiectis rariſſimum erit ſperare grandaeuitatem. Conſulendum itaque ipſis eſt, vt legant veſtigia longaeuitatis CORNARI, qui talis ex ſolo bono vitae regimine longaeuus factus eſt.

§. XVII.

Vt iam rem ipſam aggrediar, conſilium nempe eligendi, et obſeruandi illarum rerum, quae facere poſſunt ad ſenectutem grandaeuam, imo longaeuam: ad vertenda erit prius mens, ad illam veterum diſtinctionem, qua iam ſupra vſus ſum, inter habitum ſtrictum et laxum. Datur enim in vtroque habitu, imperfecta, noſtri ſenſus, et perfecta valetudo.

§. XVIII.

Habitus corporis ſtrictus perfecte valens, eſt habitus ſtrictus, robuſtus, in ſingulis fibris ſolidioribus et *habitus corporis laxus perfecte valens*, eſt habitus laxus robuſtus, in congerie ſolida et denſa fibrarum vnitarum, tenuium. Sic de habitu corporis imperfecte valente: *Habitus corporis ſtrictus imperfecte valens*, nobis et habitus ſtrictus tener, ex fibris debilibus, et *habitus corporis laxus imperfecte valens* eſt habitus laxus, ex fibris debilibus laxe congeſtis. Notandum autem ſimul optime, ſanguinis craſin pro diuerſitate habitus, diuerſam eſſe. Diſtinctione tali opus eſſe credimus, quo in ſuadendo cuilibet ſpeciei vitae regimine, diuerſitatem, ſecundum illam, obſeruare neceſſe erit. Certe cuilibet ſpeciei ſtricti habitus ſuum coueniet vitae regimen, vt etiam

etiam cuilibet ſpeciei laxi habitus: non aliter, quam in cura morborum, ſecundum hanc diuerſitatem habitus conſideratorum, diuerſa valet methodus, vti in praegreſſa tractatione ſubinde tetigimus.

§. XIX.

Campus ſe hic aperit diaeteticus ſpatioſiſſimus, in quem pro materiae prolixa et ampla natura, exſpatiari non iuuat. Hoc adnotaſſe ſufficiat, quod, cum habitus corporis magis a natura craſeos ſanguinis dependeat, (id quod ſaepe ex variato, per diaetam variatam, habitu apparet) quam a conditione fibrarum corporis, in hac doctrina maxime auſcultandum ſit, non ſolum ad notatas ſpecies habitus, ſed et ad popularem victum, ex quo ſanguis paratur: et fere quoad indiuidua, ad naturae inſtinctum, quem in hominibus, qui non conſueuerunt obuiis illecebris perpetuo agitari, ſed ſuo vnice, ſimplicique ingenio viuunt, ſaepe obſeruamus. In his enim, populariter ſumtis, vix videbis habitum varium, vti videre eſt in populis, lautitiis et illecebris lautitiarum laxe obedientibus. Nullum ſpecialem, quam moderatum rerum non naturalium vſum, omni homini ſalutarem, ad longaeuitatem commendare poſſumus, hocque minime omnium circa victum et potum, haec commendando, illa reiiciendo, niſi forſan generaliter; quippe, qui ad ſenectutem vsque regulari vitae regimini indulſit, ille naturae regulari inſtinctu ductus, conuenientem ſibi eliget diaetam. Ex animalibus potius, quam ex vegetabilibus viuere, in ſenio, docent plurimi, et CORNARI

exem-

exemplum; ſine dubio, quia ex illis, cum ſale, licet parce, paratis, ſal volatile emergit, ventriculo et inteſtinis, imo ſanguini amicum, roborans: interim absque victu, ex animalibus ſumto, grandaeuitatem imo longaeuitatem acquiri poſſe, docent illi, qui paſtam farinaceam vltra dimidium ſeculum comederunt, qui 24 annos absque victu ex animalibus, qui ex obſoniis frigidis, braſſica muriat. vixerunt; rebus, vſui rerum non natur. iuſto, apparenter repugnantibus, de quibus in cap. I. locuti ſumus. Anxie ſtudio longaeuitatis incumbere, et exercitio multarum regularum ſe dedere, non ſolum ſapienti inconueniens, ſed et aptum eſſe iudicamus, ad animi tranquillitatem turbandam: fundamentum fere primarium ad ſcopum obtinendum, cui, aliquoties allegati longaeui ebrii, videntur ſuam longaeuitatem ſuperſtruere voluiſſe. Varium enim, et valde inter ſe differens legimus, cap. I. multis in §§phis. regimen diaeteticum longaeuorum, quod omni habitui, et temperamento commendari non ſolum nequit, quin velle iniuſtum foret: quilibet enim proprio, naturae inſtinctu, vel conſuetudine motus, illud ſibi elegit, ipſique adhaeſit. Multi ad puerilis vitae regimen ipſi rediere. Hac via inſtitutum prudenter vitae regimen, cautelas ſurrogabit ſemper facile obſeruandas, imo *totum erit cautela.* Vltima haec tria verba ſuggerunt memoriae meae egregium effatum, b. m. G. E. STAHLII, praeceptoris quondam, in Fridericiana Halenſi, ad proximos cineres, vti venerati, ita venerandi, ſequenti occaſione datum, nec memoria eius indignum. Cum in dicta Academia Iurisprudentiae Profeſſores, celebres illi STRYCKII aliique

aliique, varias diſſertationes iuris practicas ederent, e. g. de Inquiſitione in homicidas, *cum cautelis*; et quidam Medicinae Profeſſores hanc methodum ſequerentur, et diſſertationes ſuas practicas, etiam *cum cautelis* conſcriberent: STAHLIVS, antiquorum rituum amans, nec nouis facile cedens, Auditoribus ſuis publice inculcabat, *totam praxin cautelam eſſe.* Sic longaeuitati ſtudentibus, obſeruandum eſſe puto, iuſto, a Natura dictato, modo, inſtitutum regimen *totum cautelam* eſſe, nec cautelarum multarum abundantia opus eſſe, nec regularum. Si autem, ad exemplum Doctorum, qui de regimine ad vitam longam regulas dederunt, a nobis etiam tale exſpectandum eſſe putas, Lector, huic exſpectationi, paucis in ſequentibus §§phis ſatisfacere, laborabimus.

§. XX.

Praemittimus in hunc finem regulas quasdam *generales*, et primarias, cuilibet habitui ad bonum regimen neceſſarias obſeruatu, et ad ſenectutem prouectam acquirendam. 1. Vt ex inſtinctu naturae, iam deſignato, vitae regimen pro vitae conditione inſtituant, et victum ſibi ſeligant, experientia domeſtica probatum. Reſpondet haec regula, aureo illo CELSI praecepto, *nullum cibi genus ſugere, quo populus vtatur.* Ponderabit prudens, quae ex iuſto naturae inſtinctu appetit, et quae palato tantum arrident, infida; et hinc ex improuida conſuetudine, ipſi neceſſarium factum eſt regimen. 2. Excretionum corporis trium primariarum, alui, veſicae, et cutis iuſtam habeant curam: Vnice enim tranſpira-

tioni ſtudere (Sciagraph. Gerocom. Floyer. Cap. I.) non ſufficit. Nimium praeterea nocet, vti reliqua. 3. Animi ſerenitatem, et hilaritatem, vel ad minimum, eius aequilibrium ſeruent. Quicquid ſuper eſt, ad plures formandas regulas, *minus ſonticum* putamus, qui in allegatis primarium poſuimus. Poſſemus enim ex rebus non nat. adducere aëris ſelectioris inſpirationem, motus et quietis viciſſitudines, etc. ſed ſi aëris in frigore, et in calore, exceſſum excipias, vel etiam eius peſtilentem qualitatem: et quoad motum, eius exceſſum, vel quoad quietem, nimiam eius indulgentiam; ex reliquis harum rerum modificationibus nullum ſanitati inſurget periculum. Parui momenti reputamus controuerſiam, Romae aliquando in publicis ſcriptis ventilatam, *de domus inſolatae, et non inſolatae diuerſitate ad bonam valetudinem.* Quae res, ad principia phyſica quidem examinata, inſolatam domum prae non inſolata praeſtantiorem declarabit; aſt experientia tot grandaeuorum, in cellis monaſteriorum non inſolatis habitantium, hanc controuerſiam parui momenti ad valetudinem eſſe docebit. Qui non inſolatus grandaeuus factus eſt, ille ab inſolita *multa* inſolatione et apricatione, valetudinis labem forſan ſentiet, vtpote cuius ſanguinis craſi, haec materia, abundanter affluxa, aetherea, agitationem incommodam afferet; licet non negandum ſit, apricationem, *ſubinde* inſtitutam, ſanguini ſenili eſſe conducibilem. Et, ſi hoc intuitu de aëris hauriendi mutatione aliquid addere licet, idem valet argumentum. Qui enim aërem craſſum paludoſum, ad grandaeuitatem vsque hauſit, ille in aërem deductus

multum

multum ſubtiliorem, montanum, periculum incurret, valetudinem huc vſque ſtabilem amittendi. Eadem enim ratio, quam ſupra, de non mutando, *in totum*, victu in grandaeuis allegauimus, niſi forſan inſtinctus quidam vrgens id iubeat, etiam hic valet. Scimus enim, quoad aërem, quanti momenti ſit mutatio climatis, eximie diſcrepantis, reſpectu valetudinis, etiam iuniorum hominum. Succurrit memoriae, huius rei exemplum memorabile, non praetereundum. Cum anno, 1736. Galli captiui, Dantiſco, ad extrema littora ſinus Finnici, in viciniam tamen palatiorum aeſtiuorum Caeſareorum, ducerentur, aeſtate exiſtente ſolito ſicciore, (nam ſiccae non ſolum ſunt, in hoc climate, plerumque aeſtates, nec a pluuiis frequentioribus, vti in Gallia, interpellatae, ſed et noctes ſunt ſiccae, calidae, maximam partem inſolatae, contra naturam noctium diuturniorum, humidiorumque Gallicarum) ibi autem non vt captiui, ex Imperatricis, glorioſae memoriae, congenita clementia, ſed, vt liberi, ſub tentoriis, et ſurrogato ſtipendio, eiusdem valoris cum patrio, tenerentur; aër huius climatis craſin ſanguinis illorum adeo afficiebat, vt cum numerus illorum initio fere mille, et quingenti eſſet, paucos poſt menſes, vix dimidia pars illorum in viuis ſupereſſet, qui a febre maligna, his Gallis ſolum epidemica, immunes manſere. Edit, forſan, ſimul fati iniquitas cor illorum.

§. XXI.

Vt nunc ſpecialius, pro habitus diuerſitate conſulamus illis, qui ſenectutem optant longam, et

commodam: *habitui corporis ſtricto, robuſto,* hoc vitae regimen ſuademus, (reſpiciendo in hoc maxime ad ſecundam regulam generalem) vt ſaepe repetitis vtantur balneationibus calidis, cum exterſione corporis, mediante ſapone, et alternatim frigidis; nec non frictionibus corporis fere quotidianis, quo firmentur fibrae, et ſanguinis ſtagnationes periphericae impediantur, ad leuiorem ſecretionem et excretionem ſordium ſubtilium ſanguinis per ſudorem; quid, quod modeſta frictio recte iudicetur nutritioni velificare. Vinum ipſis conuenit, nec non parum vini, vel frumenti ſpiritus eundem in finem, *ſub aequi inſtinctus doſi.* Potus multus, per interualla hauſtus, corporis motu intercurrente, tenuis, diluens, et ad ſecretiones et excretiones mediante ſudore, et vrina bene expediendas, conueniens. Cibos capiant ſalſos, pingues, acido temperatos, niſi quid obſtet. Pinguedo tenera ſalita, melius praecauet viſcerum obſtructiones, quam ol. amygd. amar. ad mentem FLOYERI: attenuat ſanguinem mucoſum. Aromata ipſis ſint in vſu, haec enim omni ſenio conueniunt, exotica et domeſtica, cum ſelectu tamen, et quidem exceptione, inter exotica, cariophyllorum, quibus magna vis ineſt ſanguinem exaeſtuandi, et fibras rodendi. Bilis vappiditatem corrigunt aromata. Pro excretione aluina, quae in his ſubiectis interdum ſtimulanda eſt, Aloë maxime conuenit et Tamarindorum pulpa. Ratio habenda tamen ſegnitiei alui longaeuorum, ipſis quaſi naturalis factae, ex parciſſimo vſu ciborum ſolidorum.

§. XXII.

§. XXII.

Idem fere regimen diaeteticum conuenit illis, qui *habitus corporis ſtricti, teneri, et infirmioris* ſunt: omnia autem cum moderatione, et maiori circumſpectione. Balneationes adhibebunt minus calidas, et minus frigidas. Aromata eligent magis domeſtica, ſiue ſimpliciter adhibita, ſiue in oleis, arte ex illis productis, e. g. foenic. aniſi, deſtillatis. Mulſum his magis conuenit, et vinum magis lymphatum, nec non ſerum lactis, ad promouendam feliciter vrinam. Lacticinia, fructus, et oleracea muria condita, quae aluum expediunt. Carnes animalium tenerae pingues. Non ſubtrahendus eſt *huic habitui* potus ille ſenum epidemicus, *Chocolade* dictus, ex Cacao fructu paratus, toto oleoſo, et ideo ſenibus conueniens putato. Cedendum aliquid eſt conſuetudini morum, praeiudiciis, et arti mercatoriae, quae gulae noſtrae adhuc cum aliis potus generibus illudit. Si autem ob oleoſam naturam fructus Cacao, illum ex ipſo paratum potum laudamus, maiore ſane laude digna erit emulſio ex amygdalis dulcibus parata.

§. XXIII.

Videamus iam quid laxo habitui corporis conueniens ſit ducendum, reſpectu ſecundae regulae generalis. In *habitu corporis, laxo, robuſto, cum fibris denſe congregatis*, fibrarum eſt laxitas, reſpectu habitus ſtricti. Cum iam, in habitu corporis ſtricto balneationes commendauimus, id ad fibrarum

rigiditatem propenſionem, etc. fecimus: interim hoc non obſtante, in hoc habitu laxo conuenient, quia in hoc fibrarum maior repletio a lympha adeſt, quae per illas promoueri cupit, ad ſecretiones, et excretiones ſanguinis ſeroſarum ſordium per ſudorem. Cui intentioni in ſubſidium vocandus eſt potus neceſſarius, ſanguinem diluens, et ad ſeparandas e maſſa humorum, per circulationem inutiles redditas particulas, aptus, qualis eſt vinum dulcius, mite, fibris huic habitui magis accommodum. Hocque non ſolum ad tranſpirationem promouendam, ſed etiam ad ſerum bilioſum per renes pellendum: cui intentioni eo magis inſeruiendae, interpoſita vina acidula, Rhenanium, Moſellanumque, et cereuiſias teniores commendamus. Quale vinum biberit cornarvs, non indicat: credibile autem eſt, illum dulce bibiſſe, quia nouum ſibi conducibile, vetus autem inimicum ſenſit: nouum acidum ipſi contuliſſe, probabile non eſt, ad fecum vero aluinarum et muci inteſtinalis excretiones iuuandas (ſi opus eſt in hoc habitu, in quo communiter, ex copia lymphae abundantis, multum muci ad inteſtina delegatur, vt ipſi frequens ſoleat eſſe alui ſolutio) praeſtabunt laxantia ſennata, tamarindinata, cremor tartari, modeſte, et quaſi ad naturam vnice ſtimulandam, adhibita. Aromatum praeterea exoticorum hic ſit modeſtior vſus, quia huius habitus ſanguis magis elaſticus eſt, quam ſtricti, et fibrae ſenſibiliores. In cibis interim etiam conuenient acida et ſalſa, et pinguia, ad ſtimulanda vbique, et lubricanda organa ſecretoria. Motus corporis, vti huic negotio etiam velificat, et omni habitui conuenit, ita huic quam maxime

maxime neceſſaria eſt, quia ſanguinem habet, ad vappeſcentiam ruentem, quando ex nimia quiete ſtagnat.

§. XXIV.

Idem regimen, cum gradus diminutione tamen, qualem examen virium et teneritudinis permittit, conuenit illis, qui *habitu ſunt corporis tenero, imperfecte valente, ex fibris debilibus, laxe congregatis.* Praeterea in omni habitu, eiusmodi modificatio gradus obſeruari debet. Factu autem hoc facile erit, ſub directione inſtinctus naturae, qualem ſupra deſcripſimus, et prudenti illius moderatione, vbi ipſe ad exceſſum forſan verget, vel etiam eius prudenti ſollicitatione, vbi opus fuerit: opitulantibus leuiſſimis, ſuſpenſisque adminiculis.

§. XXV.

Floyervs in *Medicina* ſua *Gerocomica*, valde amplus et nimius eſt circa balnea et lotiones, vnctionesque corporum; in quarum vſum multa olea expreſſa fructuum et ſeminum, et inde paratos ſapones, quorum ope morbos ſeniles, quos omnes *Cacochymiarum* nomine recenſet, primario curandos eſſe putauit, in proprio corpore tentauit. (Vide ſciagraphiam, Gerocomices praefationi annexam.) Non reiicimus lotionum vſum ad bonam valetudinem conſeruandam: interim, tanto apparatu opus non erit, cum bonus ſapo Alicantinus vnctionis vices ſufficienter expleat, et operoſiorem methodum

Floyerianam ſuperuacaneam eſſe credamus. Multo minus conuenimus cum illis, qui oleis expreſſis et pinguedinibus, balſama calida, et olea deſtillata addunt, quippe, quia ſenum cutis, facillime per ſe, fit domicilium particularum ſalſarum et acrium, cutem rodentium, (de quo, papulae prurientes, vix non in omnium ſenum dorſo, teſtantur) haec acria, parca licet doſi, illis velificabunt. Sola exterſione pororum opus eſt, per ſaponem, molliorem, recentem Alicantinum, ex quo cuti tonus naturalis, excretioni ſeri conueniens facile redibit, inprimis, ex ſuperinducto, per interualla, cuti, induſio laneo, Flanel nuncupato. Vngebant olim ſua corpora oleis, Athletae, et populi, a ſolis ardore aduſti: illi ad lubricandum corpus in conflictu, hi ad ardorem mitigandum: et ipſe, quem allegauimus, oleo ſe vngens longaeuus, forſan valde ſtrigoſo fuit corpore, quali et oleum largiamur.

§. XXVI.

Collaudatorem balneorum habemus celeberrimum HEBENSTREITIVM in Poëmate ſuo laudato, pag. 276.

Balnea conueniunt, molleſcit fibra ſenilis
Inter aquas, nec pota minus fontana iuuabit
Quem vini veteris mediocris temperet vſus.

pag. 260.

Balnea demulcent artus, et corpora firmant
Emunguntque cutis mucos, ſpirantia pandunt
Oſcula vaſorum, tunc tranſpirabilis humor

Liber

Liber abit, faciles halant ex corpore fumi
Et veteres abeunt ſucci, veniente nouello.
Haec conſeruandae lex eſt, et norma ſalutis.
Frigida conſtipant, et firmant balnea corpus
Sed tranſpirantes excoecant frigora ductus.
Vtilius tepidis corpus demergitur vndis.

Interim, 1755, menſe Octob. narrabatur, obiiſſe in Anglia longaeuum 105 annorum, qui cum ante multos annos, rheumatiſmos paſſus fuerat, et illos tepidis lauacris pellere fruſtra tentauerat, ob horum fruſtraneum effectum, immerſionem corporis in riuum, omni tempeſtate, in vſum vocauit; cumque ita, ex frigida, multum auxilii contra morbum ſuum ſenſit, ex hinc ad ſerae huius vitae finem vsque, hoc regimine, ſanitatem ſuam conſeruaſſe dicitur. Frigidam potam eo conferre ſupra allegauimus: lotam etiam interdum conducere docent Ephem. N. C. D. III. A. III. de octogenario, qui a multis retro annis, media etiam hyeme, aqua frigidiſſima, corpus a capite ad vmbilicum vsque, cum euphoria lauabat. Maxima vis diſcutiendi ineſt vſui ſcoparum foliatarum, quibus in balneis vtimur, populi Boreales; firmant ſimul fibras, et aetati ſenili, poſt ſaponaceas lationes, valde conuenientes ſunt; affuſa poſtea corpori frigidula ad tolerantiam. Fugiant autem ſenes ſudatoria nimis calida, vel leuiſſime vaporoſa, ne, vt contigit aliquando grandaeuo, cerebrum inde laedatur, et lipothymia lethalis ſequatur. Memini hic etiam praecepti cuiusdam antiqui, praecipientis, *manus lauare quotidie, pedes aliquando, caput nunquam.* Cum autem, quoad pedes, et praeceptum,

ceptum, τὸ aliquando, in experientia ſaepiſſima in contrarium adſit, ita, quoad caput, τὸ nunquam reiicimus, et τὸ aliquando in eius locum ponimus, et vt aliquando, aqua largiter ſaponata, tepida fiat commendamus; modo mox eluaalia pura aqua, omnis praecedens ſaponacea, et linteis calidis, omnis mador extergatur, ſimulque contra omnem refrigerationem inſequentem muniatur caput. Quid valeat, hanc lotionem inſequens melior tranſpiratio integumentorum capitis ad ſanitatem, facile quilibet perſpiciet, absque noſtra commentatione. Nolo hic allegare, inter populos boreales, aliosque, conſuetudinem caput poſt balnea, et his poſt habitis, frigida lauandi valere. Elucet ex his vtilitas corpora lauandi; quam comprobat neceſſitas quotidiana faciem et manus a muco, per vnum diem, in poris collecto per aquam liberandi.

§. XXVII.

Iam ſupra monuimus, circa regimen, quod omni nationi vna eademque victus ratio commendari nequeat, quod monitum hic repetendum cenſemus, quia cuilibet nationi mos proprius viuendi eſt, et ſanitati indulgendi, tam in aetate conſiſtente, quam in prouecta: interim conueniens parallelismus in toto hoc negotio inuenietur.

§. XXVIII.

Prouidimus ſic, his paucis generalibus monitis, neceſſitati obſeruandi res primarias, in duabus primis regulis

regulis generalibus contentas. Quod tertiam attinet regulam quae animi ſerenitatem, hilaritatem, vel ad minimum eius aequilibrium commendat, de mediis ad hanc intentionem implendam, minus certi quid ſpecificare valemus, cum animi guſtus plus variet, quam palati. Obſeruamus enim, hunc ad animi exhilarationem muſicam requirere, illum confabulationem, hunc luſus, alium ſolitudinem, alium iocos, ſpectacula, alium venatione delectari, alium conuerſationem cum feminis, aliosque aliis rebus diuerſis. Si verum eſt, quod HERMIPPVS annos 115 inter puellas degens impleuit, plus id tribuendum exhilarationi eius, quam confabulatio ſuauior cum illis excitauit, quam halitui illarum. Notum eſt, quod DAVIDIS, Regis Iſraëlitarum, frigida, et hinc ſine dubio moroſa ſenectus, adcubitu formoſae puellae temperata fuerit, cuius praetentum miniſterium calefaciendi fruſtraneum fuiſſet, niſi etiam venuſtas eius, et blandiens confabulatio Regis animum exhilaraſſet, et ſic vitam eius prolongaſſet.

§. XXIX.

Cum tandem compos factus ſim Gerocomicae RANCHINI, cuius Sciagraphiam, in Praefatione, dedi, merito etiam hic quaedam eius adducenda ſunt conſilia ſingularia ad longaeuitatem. Sunt autem 1. vt ſtudeant ſenes *cordis humectationi*, ne cor exſiccetur, per remedia interna et externa, liquida et ſicca, ſacculis cardiacis, et ſimilibus; quoties enim ſubſtantia cordis humidior reddatur, toties prohiberi ſenium 2. vt laborent, ne areſçat, et ſiccetur he-

par,

par, ſanguinis officina, et facultatis naturalis ſedes, 3. ne langueſcant ventriculi functiones, vt vigeat appetitus, 4. vt teſtium habeant rationem, non ſolum in ſummo virium lapſu, ſed etiam ad totius corporis oeconomiam conſeruandam, quia per illorum abſciſſionem ſpadones eius magnam mutationem patiantur: Galenus enim in teſticulis alterum fontem caloris natiui agnouit, vniuerſum corpus viuificantem, vna cum facultate generatiua; hinc ad virium reſtaurationem teſtibus roborantia ſunt admouenda, praeſertim, cum per illos facilius penetret vis remediorum, quam per alias partes externas. Amplior eſt RANCHINVS in teſtium cultura, quam in humectatione cordis. Concludit tandem, excitandam eſſe teſtium naturam, non quidem veneris exercendae gratia, ſed virium roborandarum cauſa.

§. XXX.

Liceat nobis haec conſilia examinare I. commendat cordis humectationem, ne exſiccetur. Valuulas cordis duras, ſiccas, aortam oſſificatione induratam, cor dilatatum et flaccidum, exſiccatum autem in ſenibus, nullibi vidimus. Flacciditas repugnat exſiccationi, et humiditati accedit. Si autem ſpecialiter cordi prouidendum eſſet, roborantibus gratis internis, parciſſime ſpirituoſis, id agendum foret, ad tonum huius machinae muſculoſae ſuffulciendum, ne cordis thalami, flacciditate fauente, magis dilatentur. Qua ratione ſpiritum vini, vel frumenti, cordibus ebriorum longaeuorum, cap. primi contuliſſe, probabile eſt? II. Commendat hepatis conſer-

natio-

uationem, ne exareſcat. Hepatis exareſcentiam, ſaepe in ſenibus fieri certum eſt; viſcus eſt glanduloſum, huius vitii capax, vti reliquae glandulae: modica autem eſt illa exareſcentia, in ſenibus, de reliquo ſanis, nec morboſa obſtructione laborantibus. Quid autem eius exareſcentiam magis impediet, quam fluidus, et bonae craſeos ſanguis? huic ſi ſtudet ſenex potu ſufficiente, et diluente, obuiam ire, non vereatur praeualeſcentem eius exareſcentiam. Multo minus externis humectantibus illam praecauere ſtudeant, ne loco intentae humectationis hepatis, fibras muſculorum abdominis flaccidas reddat, et ſimul pulmonum vitia, et difficilem reſpirationem, ſibi hac via humida contrahat, III. monet ventriculum externis remediis eſſe roborandum. Suaſimus ſupra, vt ventriculi habeatur ratio, maxime per bonam diaetam, non delicatam, ſed illam, qua mediante ſenes obſeruarunt, illum functiones appetendi, et digerendi bene exegiſſe; imo commendauimus, hoc ſcopo, cibos, apparenter dyſpeptos, conducibiles tamen repertos, fructus conditos, ſalſa, acida et amara. Externorum remediorum obliti ſumus: interim, cum huius obliuionis culpam profiteamur, eo ipſo, grauis culpae nos obnoxios feciſſe non credimus; nam quae ventriculo languenti, externe applicantur remedia, certe eodem modo, quam iecori applicita, parum dabunt auxilii, niſi forſan vtrique in ſtatu morboſo, ſpirituoſis, aromaticis, et calidis epithematibus. IV. Teſticulorum ſenilium rationem habendam eſſe, inculcat Auctor. Largimur quidem, nullibi legi ſpadones eſſe longaeuos factos, et abſciſſis teſtibus, fontem quendam

caloris

caloris natiui, totum corpus viuificantem obſtrui, fatemur, (teſtantur enim hoc abunde, et barbae abſentia, et vocis lenitas) eoque ipſo illum nobis conſeruandum eſſe monemur. Interim, nullibi etiam legimus, ſpeciali teſtium cultura longaeuitatem acquiſitam eſſe, nec credibile eſt, illam plebeii ſupra notatis in vſu fuiſſe. Indicant paſſim Auctores, teſtium bonam conſtitutionem ſcrotum bene corrugatum teſtari, hocque maxime in ſenibus eſſe attendendum, ceu roboris vitae ſignum; quod ſibi capiant, qui, per teſtes longaeuitatem quaerunt, et ſuperuenienti flacciditati ſcroti, remedium applicent. Quae ſuadet RANCHINVS teſtibus applicanda roborantia, et ne illa ſimul venerem, ſenibus pernicioſam, excitent, cauendum eſſe monet: quo modo totius corporis aucta, per culturam teſtium viuificatio, absque augmento et orgaſmo ſeminis ad venerem, ſeparari poterit? Certe, ſi HERMIPPVS, a puellis, quibus, ad cor viuificandum oſcula dare ſuadet RANCHINVS, circum datus, ſimul teſtium ſuorum laudatam rationem habuit, illum ſolo halitus puellarum auxilio longaeuum factum fuiſſe non credimus. Si ſenes inhabitat ſpiritus Parri, Angli, vel illius longaeui Dani, quorum Cap. I. mentionem fecimus, certe puellis, ob halitum adeo ſalutiferam commendabilibus, valde veremur. Ad animi ſenilis exhilarationem puellarum et puerorum corſortium, nec non adcubitum, aliquid facere poſſe non negamus; calor praeterea ex corpore adoleſcente prodeuns, actiuus eſt, corpori frigidulo, ſanguinique ſenili marceſcenti proficuus, non tamen ad longaeuitatem ſufficiens, quod in DAVIDE vidimus. Qui

vetulis

vetulis etiam a RANCHINO commendatur puerorum adcubitus, nullo alio modo poterit eſſe vtilis, excluſo penitus alius generis commercio. Infidum autem, et ſuſpectum, nec tentationibus indecentibus vacuum habeatur hoc ſeneſcendi artificium, inprimis, ſi pro experta Auctoris arte, roborantia ſeminali vetularum adplicentur. (Sciagraph. P. II. therap. Sect. I.) Quid, quod teſte a Ranchino allegata experientia, ad nefandum ducat homicidium, dum Auctor infert, puellarum adcumbentium ſpiritum vitalem, ita exhauriri, vt vnius anni, vel paulo longiore temporis ſpatio, in tabem cadant lethalem (ibid. Part. I. Diaetet. cap. 8.) Vetulis auguratur reuiuiſcentiam, et longaeuitatem, non ex adcubitu, ſed concubitu cum iuuenibus, his autem exinde accelerationem ſenectutis, et conſequenter mortis. Artes veſanae!

§. XXXI.

Conſentientem, ex parte, RANCHINO, addo WELSTEDIVM, Anglum, qui in Tractatu ſuo epiſtolari, *de Vergente aetate*, ſenibus etiam iuuenum, ſpirituum abundantia gaudentium, ſocietatem commendat, ad flammulam vitalem alendam, luculam cordis, ſecundum WEDELIVM, polyhiſtorem. Fundamentum fructus ponit, cum ceteris, in viuidis effluuiis, quae iuuenes per pulmones exſpirant. Equidem miras virtutes, iam olim multi ſibi imaginati ſunt, ex particulis per pulmones exſpiratis, a ſanguine ſanorum iuuenum, vtriusque ſexus; hinc natum eſt illud experimentum, quo mediante eiusmodi iu-

X uenes,

uenes, quolibet mane, ieiunos ſuos halitus, in magnum quoddam recipiens vitreum inhalare debuerunt, qui a frigore vaſis collecti, liquorem dedere, quem poſtea leni igne deſtillauere, et inde ſpiritum quendam ad longaeuitatem prolicere tentauere. Verum ad ineptias talia releganda ſunt. Non nego interim, iuuenum bene moratorum, floridae ſanitatis, ſexus vtriusque, vel, pro delectu, ſexus vnius, ſocietatem ad longaeuitatem aliquid conferre poſſe, temperando ſenum moroſorum languorem, per morum concinnitatem, blandam reuerentiam, et iudicioſos diſcurſus, quibus, in ſenibus alacritas mentis, et iocoſa hilaritas excitatur, eoque ipſo autem ſanguinis languens elaſticitas reparetur, et circulus blandus, et ſic vitae virium augmentum enaſcatur; quae omnia ſenex moroſus, a ſocio moroſo non hauriet, quin potius, duplicata per reciprocationem moroſitate ad vitae curriculum ſibi inuicem abbreuiandum valebunt. Tribuerem quidem aliquid huic opinioni, ſi iuuenis cum ſene conſortium haberet, gaudens eadem cum ſene craſi ſanguinis. Quae etiam Auctor, de gaudio, ſenibus, et quidem nimio et magno, conciliando differit, ea, pro Cap. II. §. XLVII. tenore, non probo, quia omnis animi affectus, maxime in ſenibus, lenis, et moderatus eſſe debet, ne ſyſtema neruoſum, in ſenibus minus elaſticum, ex abundanti, fluidi neruei influxu, quem forſan abſorbere nequiret, tono ſuo plenarie priuetur, et mors ſubitanea ſequatur, vti id in gaudiis improuiſis accidit. Audiamus de hac adhuc *Gellium* L. III. Cap. 15. „Diagoras Rhodius, tres filios adole-„ſcentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratia-„ſten,

„ſten, tertium luctatorem: eosque omnes vidit vin-„cere, coronarique eodem Olympiae die. Et cum „ibi eum tres adoleſcentes complexi, coronis ſuis „in caput patris poſitis, ſuauiarentur, quumque po-„pulus gratulabundus flores vndique in eum iace-„rent, ibi in ſtadio, inſpectante populo, in oculis, „atque in manibus filiorum animam efflauit.„ Adoleſcentes erant veteribus illi, quos blandiens noſtra aetas viros nuncupat; et cum probabile ſit, Diagoram in extrema ſua adoleſcentia, quae, apud veteres, ſaepe triginta annos ſuperabat, hos genuiſſe filios, probabile etiam eſt, illum in ſenio primo, ſi non ſecundo conſtitutum fuiſſe. Verum, faciamus illum iuniorem, non tamen ex pondere coronarum, vel florum, ſed ex ſuauiationibus, gaudio abundantiſſimis, illum obiiſſe, et ſenibus hoc mortis genus facillime contingere poſſe credendum eſt.

§. XXXII.

Collimitat, tandem, cum noſtro diſcurſu, de conſuetudine iuuenum cum ſenibus, quaeſtio illa medica, publica, Pariſina, quam *in Bibliotheca medica Götting.* Vol. III. titulotenus inſertam legimus: *an iunioribus ex ſeniorum cohabitatione damnum?* Cum vero illam, ibi ſimul reſolutam non inueniamus, ſic, an nobiſcum ſentiat, vel diſſentiat Auctor quaerens, ignoramus. Ad iuſte diiudicandam hanc quaeſtionem, illa methodo vtendum foret, qua pro viribus veneni explorandis vtimur, dum capitis damnati periculum peraſſumtum venenum ſubire coguntur; vt ſani quidam adoleſcentes, criminibus capitalibus

 damna-

damnati, in Gerontodochiis, ſenibus, ſanis, minime aegrotantibus, per annum inſeruire teneantur cum eodem tamen iure et libertate, cum ſenibus auram foras capiendi, ne morbos incarceratorum ſibi contrahant. Nihilominus adhuc magna valeret differentia, inter hos adoleſcentes, qui multorum ſenum halitum quotidie inſpirarunt, et inter illos, qui in familiis, vnius vel alterius ſenis halitum inſpirant. Interim, ſi ex his obſeruaretur, iuuenibus inde ſanitatis damnum naſci, ſenesque iuuenum abundantiam ſpirituum (§. XXXI.) per ſuum conſortium minuere, hocque modo illos ſucceſſiue vita priuare; ſane, ſenes non ſolum a liberis forent fugiendi, ſed et veteres gentiles, qui ſenes parentes ſuos, propriae vitae tutelae ergo, necauerunt, a parricidii culpa liberandi.

INDEX.

INDEX.

Nota: Praef. denotat Praefationem. Sc. R. Sciagraphiam Ranchinianam. Sc. F. autem Floyerianam Numerus magnus, caput, paruus paragraphum indicat.

A.

Adcubitus iuuenum. Sc. Ranch.
Aethiopiae longaeui. I. 12.
Aloë vſus Sc. R. et F. et II. 84. ſeq.
Alui fluxus. Sc. R. vide Diarrhaea.
Alui obſtructio. II. 122.
Angina. II. 95.
Animi ſerenitas. III. 28. 31.
Anni climacterici. I. 108.
Anorexia. II. 110.
Apoplexia. Sc. R. et II. ſeq.
Apricationis vſus. II. 12.
Articulorum dolor. Sc. R.
Arthritis. II. 164.
Arteria magna ampla. I. 29. 30. 34.
Ariertae oſſificatae. I. 38. 41. ſeq.
Aſthma. Sc. F. et II. 101.
Auditus vitia. Sc. F. et II. 20. ſeq.
Autocheiria ſenum. Praef. et I. 107.

B.

Balnea. Sc. R. et F. et III. 25. ſeq.
Braſilianorum longaeuitas. Praef. et I. 8.
Britanni longaeui. I. 3.

C.

Cachexia. Sc. R. et II. 137.
Cacochymia. Sc. F.
Calmucci longaeui. I. 11.
Canities. I. 18.
Caro fumata. I. 98.
Caſus lethales. I. 21.
Catharrus ſuffocat. II. 103.
Catarracta. II. 6. ſeq.
Chinenſes longaeui. I. 10.
Cinnabarinorum vſus. II. 171.
Cephalalgia. II. 26. ſeq.
Cerebrum petrefactum. I. 45.
Cerebri ſiccitas. I. 28. 35.
Colica. II. 118. ſeq.
Cor magnum. I. 30. 33. 34.
Cordis praeſeruatio. Sc. R.

D.

Decrepere, quid. Praef.
Deglutitio laeſa. I. 3. II. 91.
Dentes. I. 20. 50. II. 72. ſeq. regenerati. I. 50.
Dethardingius. Praef. fine. Depontani ſenes.
Diaeta. Sc. R. et F. quot librarum.
Diabetes. II. 144.
Diarrhoea. II. 124. ſeq.
Dyſuria. II. 151.

E.

Eryſipelas. II. 156. ſeq.
Eupepta per non adſueta mors. I. 99.
Excretiones per aluum, veſicam, cutem. I. 63. ſeq.

F.

Facies mutata. I. 18.
Feminarum ſtructura, virtus ad motus. Praef. pinguedo. ib.
Flatulentia. II. 112. ſeq.
Forma ſenum. I. 15. 27. ſeq.

G.

Galliae longaeui. I. 5.
Gaudium mortiferum. II. 47. III. 31.
Genitalia ampla. I. 29. 71.
Germani longaeui. I. 4.
Grandaeuitas, quid. Praef.
Grandaeui aliquando a morbis liberi. II. 2.
Guſtus ſenum. I. 78.
Gutta ſerena. II. 5.

H.

Habitus diuiſio. I. 16. mutatio. I. 17.
Habitus ſtrictus et laxus perf. et imperfecte valens. III. 18.
Haemoptyſis. II. 106.
Haemorrhoides. II. 134.
Haemorrhagia narium. II. 30. ſeq.
Helueta longaeua. Praef.
Hemicrania. II. 27.
Hemiplexia. II. 52. ſeq.
Hepar ſaluum. I. 51.
Horatii incommoda. I. 22.
Huarti doctrina ad ingenia. III. 9.
Hydrops. II. 137. ſeq.

I.

Immunitas ſenum a morbis. II. 179.
Incuruatio ſenum. II. 174.
Iſchuria. II. 152. ſeq.
Iudaei longaeui. I. 9.
Iuſcula, an ſenibus? I. 87. 98.

L.

Lappones longaeui. I. 3. agiles. I. 21.
Lauatio in calida et frigida. Sc. F. et III. 25. ſeq.
Leuitas corporis ſenilis. I. 54.
Lienis cartilaginoſ. I. 47.
Longaeuus Rex Sueciae, longaeua animalia, longaeuae feminae, Anglica ſaltatrix, longaeuitas, quid? Praef.
Longaeui ex temperamento materno. I. 14.

Longae-

Longaeuorum, reſpectiue, iucunditas. III. 1.
Longaeuitatis cauſa eſſentialis. III. 11.
ad Longaeuitatem regulae. III. 2. ſeq.
- - - medicamenta. III. 10.
- - - conſilia Rachini. III. ſ.
Lypothymia. II. 35. ſeq.
- - - decumbentes tarde ſepeliendi. II. 45.

M.

Macrobii. I. 12.
Malum iſchiadicum. II. 171.
Maraſmus ſenilis. II. 175. ſq.
Maxillarum vitia. I. 18.
Memoriae debilitas. II. 26.
Menſtruatio Vetularum. II. 135. ſeq.
Mictus cruentus. II. 132. ſeq.
Mors ſubitanea I. 36. ex gaudio. II. 47. III. 31.
- - - ſub alui exoneratione. II. 40.
Mutatio actionum in ſenibus. I. 56.

N.

Nephritis calculoſa. Sc. R. et II. 126. ſeq.
Nonagenarii pueris riſui. I. 26.
Nutritio. I. 61. 62.

O.

Oedema II. 141. ſeq.
Olfactus. I. 7. 8.
Oſſium ſenilium frangibilitas. I. 48. vegetatio. I. 49.

P.

Paralyſis. II. 50. ſeq.
Paſſiones animi. I. 82.
Phrenitis. Sc. F.
Phthiſis. II. 100.
Pleuritis. II. 108.
Pleuroperipneumonia. II. 109.
Podagra. Sc. F. et II. 165. ſeq.
Polypus. I. 36. II. 104.
Praecani. I. 18.
Pulmones longaeuorum. I. 46.
Pulſus ſenilis. I. 58. et Sc. F.

R.

Regimen extenuans, reſtauratiuum, contra bilioſos humores, contra inflammationes, antiſcorbuticum, contra podagram, digeſtiuum, cephalicum, contra varios fluxus, contra pruritum, cordiale, contra aſthma, in defectu organorum ſenſitiuorum. Sc. F.
Regimen varium vitae ſenilis. I. 91. debilium. I. 92. robuſtiorum. I. 94. ſeq. ſanitatem negligentium. I. 101. ſeq.
Regiminis regularitas et regulae commendantur. III. 12. 19. ſeq.
Reiuueneſcentia. I. 90.
Repueraſcentia. I. 86. ſeq.
Reſpiratio ſenilis. I. 57.

Saliuae

S.

Saliuae excretio. II. 71.
Sanguis ſenum. I. 53.
Scabies. II. 172.
Scorbutus. Sc. F.
Sectio longaeui 130 annorum. I. 29. ſectio long. 109 annorum. I. 30. 94 annorum et 100 annorum I. 32. octogenarii. I. 33. feminae 97 an. I. 34. grandaeuor. I. 35. ſ
Senii diuiſio. Praef. et Sc. Ranch.
Seniorum cohabitatio cum iuuenibus, an his damnoſa? III. 32.
Senectus morbus. S. R. et II. 1.
Senium pueris horrori. I. 26.
Senſuum mutatio. I. 21. 80.
Senum leuiores morbi ſilicernii. II. 178.
Somnus. I. 69.
Sopor continuus. II. 89. ſeq.
Sphacelus pedum. II. 162. ſ.
Spiritus vini et frumenti vſus. I. 104. ſeq.
Sternutatoriorum vſus. II. 11.
Stranguria. II. 147. ſeq.
Syncope. II. 35. ſeq.

T.

Tactus ſenilis. I. 79.
Telae aranearum ante oculos. II. 19.
Teſtium conſeruatio. Sc. R.
Tinnitus aurium. II. 24. ſeq.
Tremor manuum. Sc. R.
Trichiaſis. II. 18.
Tuſſis. II. 97. ſeq.

V.

Valetudo, an non niſi morboſa? III. 13. ſeq. perfecta et imperfecta. III. 12.
Venaeſectionis vſus. Sc. R. et II. 27.
Ventriculi conſeruatio. Sc. R.
Venus, ſenibus. Sc. R. et F. periculoſ. I. 72. vetulis ſalutifera. Sc. R. vigens I. 72.
Vertigo. II. 31. Sc. R.
Verulamii ſcopticiſmus. I. 23. ſeq.
Veſicae vitia. II. 143.
Vetulis topica. Sc. R.
Vetula ſaltatrix. Praef.
Vigiliae. II. 74. ſeq.
Vires generandi ſeniles. I. 71.
Viſus ſenum. I. 75. ſeq.
Vitia. II. 5.
Vomitus. II. 111.
Vrinae incontinentia. II. 144. ſeq.

W.

Welſtedius conſentiens cum Ranchino. III. 31.

cc prr dc
125335